DE MORA, ET EIVS EFFECTIBVS, AC PVRGATIONE, TRIPERTITA TRACTATIO.

STEPHANO FORCATVLO Iurisconsulto authore.

Cum indice legum in hoc commentario explicatarum.



PARISIIS,
Apud Guilielmum Chaudiere, via Iacobæa, sub Temporis insigni, & Hominis siluestris.
1578.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR priuilege du Roy est defendu à tous Libraires, Imprimeurs, & autres qu'il appartiendra, en quelque sorte & maniere que ce soit, d'imprimer, vendre ou distribuer aucunes œuures de *M. Estienne Forcatel, Docteur, Regent en la faculté de droict Ciuil en l'Vniuersité de Tholoze*, sinon au Libraire, ou Imprimeur qu'il aduisera & choisira & aura charge & puissance : & ce iusques au temps & terme de six ans entiers, & consecutifs apres la premiere impression, qui sera faicte de chacune desdictes œuures, sur peine de confiscation des liures imprimez par autres, & d'amende arbitraire, ainsi qu'il est plus amplement contenu esdictes lettres de Priuilege, sur ce donnees à Paris le treiziesme iour de May, l'an de grace, mil cinq cens soixante & douze.

Par le Roy en son Conseil.

Signé MORIN.

Acheué d'imprimer pour la premiere impression le 22. Septembre. 1578.

CLARISSIMO VIRO, DOMINO IOHANNI GVESLÆO REGIÆ MAIEstatis Consiliario à secretis, atque Procuratori generali, L. P. Forcatulus S. D.

ANimaduertēs Plato sapientiam supra virtutes alias in summo viro desiderandam, qua status publicus & officia priuata conseruari ac retineri possint, asserit in sexto libro de repub. regnum fælix & prosperum cui rex studiosus, suique similium amantissimus præest, qui tali imbutus amore, Deo quoque grata efficiet qui ad portum & finem prosperum perducet. Te igitur præstantissime vir (qui præclara indole præditus, omniū scientiarū culmē attigisti, ac præter alios Græcos & Latinos scriptores tibi familiares, ita in iurisperitis versatus es, vt ipsam scientiam cum lacte nutricis suxisse videare) non mirum est si animi solertia ad priuatum Regis consilium & publicam administrationem euolaris, cùm te rex noster ptiss. talē perspexerit, quales Cōsiliarios multos flagitaret. Hæc cùm mihi hinc remotissimo nunciata fuissent, quæ vera hîc comperi, tanto desiderio penes te fui detentus (vt, quemadmodū in Alcibiadem, contemptis ludis Olympiacis, spectatores loginqui oculos conuerterunt) animum meum in te haberem, neque re-

uoluerem nisi prudentiam & virtutes, quas liberaliter cælum & natura largita est. Itaque occasionem requirens qua meus amor erumperet, & emergeret ad tuas aures, proximam & præsentem putaui, si te participem hæreditatis paternæ facerem, quam cùm satis amplam gloria & honore haberem propter ipsius vigilias, in tuo nomine tractatum de Mora, quē in manibus volutabam, apparere volui. Quem si hilariter acceperis nostrísque donis arriseris quod spero, vel propter patris famosum nomen, vel propter quæ in te est, comitatem, quæ te non minùs in vulgus gratissimum reddit, quàm inter optimates tua authoritas venerandum, nos in album obseruantissimorum tibíque deuinctorum reponere poteris. Vale Lut. Paris. 17. Cal. Octob. 1578.

AD EVNDEM VIRVM CANDIDISsimum Stephani Forcatuli Iurisconsulti authoris, Epigramma.

Immensum Iudex, Claris spaciaris in orbem
Laudibus, Alcmenæ filius vt pedibus.
Monstra manu Alcides, docta tu mente repellis,
Ille feras, mores deiicis ipse malos.
Ius accepta refert legum tibi dulcia bella.
Qui superat potior, doctior alter abit.
Dÿ faueant pulchris, Iudex æquissime, cœptis:
Qui clauum in puppi Iura vehente tenes.
Da mihi, si merui, leges vt pandere pergam,
Et faueas, si mi Iusta palæstra fauet.
Sic Deus in cælo statuat si quando senatum,
Te superis serum reddere Iura velit.

OBSERVATA IN PARTEM PRIMAM TRIPERTITI Moræ tractatus,

1 *Quid sit Mora traditur: quódque sine culpa nunquam sit.*
2 *Delinquens Moram illico contrahere videtur, dum fortè animal promissum occidit.*
3 *Debitoris ac creditoris nomine quis veniat in definitione.*
4 *Pupillus, num sit in mora, & an ei rectè nuncietur.*
5 *Quando & quomodo mora fiat, definiri nequit.*
6 *Non esse moram remissa creditoris instantia: Quódque mora altera ex re sit, altera ex persona.*
7 *Mora ex re propriè legalis est, & quotuplex inueniatur.*
8 *Mora perfecta non est sine hominis interpellatione: & quid est, quod dicitur, sine mora vsuras præstari.*
9 *Quid sibi vult dicens nullam esse moram, vbi nulla est petitio.*
10 *Vnica interpellatio quas vires habeat.*
11 *In legatis & fideicommissis, non est mora irregularis, nisi in persona minorum. quid in Republ. & inter vicinos.*
12 *Sola petitio facit ne creditori variare liceat quamuis fauorabili. & vnica nunciatio dominum cohibet.*
13 *In quibusdam iuris locis plures requiruntur interpellationes.*
14 *An creditor meritò incipiat à vocatione in ius.*
15 *Quando mora non sit nisi lis contestetur in iudicio.*
16 *Creditoris mora qualiter contrahatur.*
17 *Sitne differentia inter vsuras currentes vel nondum cœptas.*
18 *Quid si creditor recuset sibi oblatam à debitore pecuniam.*
19 *An in l. qui romæ oblatio traxerit secum obsignationem.*
20 *Quòd oblatio non ficta sæpiùs liberet à sorte & vsuris.*
21 *Oblatio suspecta sine obsignatione non proderit.*

22 *Etiam post obsignationem in mora esse potest debitor.*
23 *Minores ætate creditores, non sunt in mora sola interpellatione, licet vera atque iudiciaria.*
24 *Mos & ratio pecuniæ in templis deponendæ.*
25 *Res immobiles debitæ non deponentur.*
26 *An partem debiti offerat iure debitor, vt pro ea liberetur, & qua cum distinctione,*
27 *Quid si rei petitæ in iudicio partem liquidò offerat, partem verò inficietur.*

PRIMA PARS TRACTATVS MORÆ.

DEFINITIO MORAE ET DIVISIO.

1 MORA est dilatio, quam culpa sua debitor tardiùs soluens, aut creditor tardiùs recipiens admittit. l. hominem. ff. mandat. Hæc est succincta Moræ definitio, quam frequēs turba Doctorum inuestigatu difficilem, inuentu penè impossibilem contendit. Atque non minus anxiè indagādo versatur, quàm Ceres illa legum inuentrix cum filiam Proserpinam amisisset in tractu Siculo, agros implens questubus & fœmineo vlulatu, vt est in fabulis. Sed illi authore vtuntur Iurisconsulto in l. Mora. ff. de vsuris. Quem mox interpretabimur, postquàm breuem & teretem nostram definitionem explicuerimus: præfati tamen debitoris verbo, possessorem contineri aduersus quem in rem agitur, vt. §. 1. de actionibus. verbo itidem creditoris dominum venire, cui lege obligatur possessor iniustus suum reddere. l. obligamur. §. lege. ff. eod. & soluere id dicitur. l. pignorib. C. de vsur. Quod verò mora sit dilatio culpæ socia, cuique patet, præsertim ex l. 2. C. vt intra certum temp. crimin. quæst. term. Nec Mora dici potest quæ inculpata inuenitur. l. pecuniæ. §. fi. ff. de vsur. & qui causari potest meritò aliquid quare non soluat creditori, aut quare oblatū creditor non recipiat iam culpæ expers

est,& Moræ.l.sciendum.ff.eod.l.si soluturus. ff. de solutionibus.Ergo Mora innocens non est mora, sicut nec modius iniquus est modius.l.Paulus.ff.de verbor.signif.iuuat nos Iulianus in l.qui sine.ff.de regul.iur.Proinde in l.Item si.§.fi.ff de rei vēdic.cum dicitur moram passus actor seruo mortuo sine culpa possessoris,eò pertinet,vt reus culpa non vacauerit frustrationis nimiæ, sed circa mortem serui innocens fuit. vt in l.de eo.§.si post.ad exhib.ff.

2 Non sum nescius delinquentem moram contrahere,dum seruum occidit promissum vtique cum culpa graui violentæ fraudis plena.l.Mora.ff.de verbor.oblig.d.l. mora.§.fi. ff. de vsur.Atqui dilatio non est,inquiet,aliquis,in eo qui rem promissam disperdit antequam à persona, vel à tempore præstituto interpelletur. Sed profectò improbus hic debitor plus quàm morosus est & crimine vim frustrationis excedit: siue sit raptor,siue fur,mira vterque ac nimia digitorum celeritate supra omnem citharœdum præditus, & iugiter Moræ reus. l.pe.ff. de vi armat. l. in re furtiua.ff. de condict. furtiu. ideò in l.si seruum.de verb. oblig. nulla mora dicitur contrahi, id est,interpellatione.Sed aliter. l.curabit.C.de acti.empt.l.initio. C. de pact. inter empt. igitur moram quoque committit quam dolo superat.l.cum furti.ff.de in litem iurād. Præterea is qui seruum quem imposterū dare debebit,occidit, sibi præripit futuram dandi facultatem: atque ita semper moræ reus existet,sicut qui abortui causam dat, partúmq; occidit priusquam nascatur.l.1.§.sed & si quis.ff. de ventr. in poss.mitt. & creditur cessare & torpere, circa id quod facere præstiterat. l. qui non facit.ff.de regul.iur. ideò in d.l.si seruum.ille habetur moræ & culpæ reus,qui seruum promissum in ægritudine non curauit: egisse namq; videtur,vt moreretur.l.indignum. ff.de iis quib.vt indig. & qui vi deiecit, in mora restituendi censetur.l.1.§.denique de vi armat. Quia nihil interest an retardetur principale per sese, an aliud præmium.l. si cui. §.fi. ff.de condit.& demonstrat.

3 Quod autem Moram retuli ad debitorem serò soluentem, aut ad creditorem recipere oblata dedignatum, non eò perti-

net vt reiiciam possessorem tardiùs restituenté, aut dominum fastidientem recipere.l.videamus.§.si actionem.ff. de vsur.l. semel.ff.solut.matr.vt iam admonui:itaque siue debitor, siue possessor cunctetur nequiter, ex dilatione culpæ plena, Moram perficit.

4 Vnde sequitur pupillum in Mora non constitui. Quia interpellari petitione in rem non potest, nec in personam persecutione aliqua siue tutoris autoritate. l. neque. ff. de in ius vocand.l. si pupillus. ff. de verbor.oblig. Quinimò in culpa magis est ille qui pupillum compellat, quíve cum eo paciscitur, quã ipse pupillus deses ac supinus ætatis imbecillitate. l. qui cum alio.l.pupillus.ff.de regul.iur.nec obest.l. si dictum. §.pupillo.ff.de euictionibus.Vbi cùm tutor non apparet, pupillo rectè denunciatur ex stipulatione duplæ, ídque benignè receptum Trebatius ait.Sed non, vt ibidem sensit Accursius, ego sentio,vtile hoc esse pupillo videlicet nunciari ipsi, dum tutor abest. Magis enim est vt illic de constituendo in Mora pupillo,vel tutore non disputetur: sed tantùm de voluntate emptoris declaranda duplam tempestiuè petituro pro re pupilli,autore tutore,vendita & euicta. Proinde emptor intellectus capacem pupillum congredietur coram testibus honestis,alioquin enim nisi probaret,frustrà nunciasset l.1.de susceptor.lib.10.C.Atque ita nunciatio, non est nocitura pupillo firmiter antea obligato ex stipulatu pro re pretiosa vendita.l. emptori. ff. de euictionibus:præterea emptor in iudicio contra euincentem se strenuè defendet.l.emptor. C. eod. accedit,quòd vel pupillus intelligens, vel testes qui denunciationi interfuerunt, facilè tutori reuerso nunciatum referabunt.l.operis cum.l.seq.ff.de operis noui nunciat.vel amicis pupilli.l.hæc autem.ff.quibus ex causis in possess.Non omitto quod in d.§.pupillo.Paulus respondens tutore non apparente nunciari pupillo posse,non continuò asserit nunciationem consistere,vt pupillus se defendere iudicio teneatur: sed magis consuli emptori quasi contra pupillum aliena culpa indefensum,vt in l.si finita.§.si pupillus.ff.de damno infect.quam nescio cur pro repugnante Accursius adduxerit. Tandem si

quis frugi lector à tergo ſpicilegium faciat, & in amplo Moræ campo nos aliquid præteriſſe increpet ob culpæ mentionem, ſubſiſtam parumper, eo quod culpæ ſimplici nomine leuis venit, id eſt, negligentis & deſidis hominis. §. pe. quibus mod. re contr. oblig. atqui lex ait non eſſe in Mora eum qui ſine dolo in iudicium prouocat. l. qui ſine. de regul. iur. aut ſaltem ſine lata culpa doli ęmula. l. mulier. §. ſed enim. ff. ad Trebell. mox dicam in d. l. qui ſine, culpam negligentię nihil efficere, vbi ſcilicet audendo, non vero ceſſando peccatur, prouocatione in ius quæ etiam colore iuſtitiæ plerunque nititur. l. xxiiij. ff. de vſur. modo à tali iuris ventilandi fiducia dolus abſit, adſitque veriſimilis ignoratio.

5 Ex his puto definitionem Moræ ab omnibus probatũ iri, quibus placitura eſt coniuncta breuitati veritas. Nec arroganter hoc dictum velim, ideò quòd Moræ definitio difficilis exiſtimetur à duobus Iuriſconſultis in d. l. Mora. ff. de vſur. & quod ab imperatore Pio nulla iuriſprudentum quæſtione, vel Cæſarum conſtitutione decidi rem tam dubiam ſubiungatur. nempè, vt ibi Papinianus eleganter ſcripſit, an Mora facta ſit, quæ fit interpellatione petitoris, & non ex re, ſed ex perſona prouocata, vti ſoluat reſtituátve: tunc planè definitio dari commodè non poteſt, an ſit Mora, & quando cenſeatur commiſſa, quomodóve. Atque ita definitio valdè propriè pro regula ſumitur. l. ff. de regul. caton. l. vi. ff. de rei vendic. nec aliter explicare potuit, aut voluit Accurſius, in l. ſuus. §. puto. ff. de hæred. inſtit. Vbi generalis definitio pro regula proculdubio capitur. Sanè generaliter an ſit Mora; vix perſtringi regula poterit. cùm vidẽdum veniat iudici, an interpellatus ſit debitor loco idoneo, vel tempore, l. ſi ſoluturus. ff. de ſoluti. Itẽ poſtea an ratione aliqua ſecurus ſit, quare procraſtinet. l. ſciendum. ff. de vſur. inſuper, an interpellatio facta fuerit ſeriò per creditorem.

6 Nam, inquit Papinianus, ſi omiſſa fuerit debiti repetendi inſtantia, non protinus mora intelligetur. Eſt enim hæc inſtantia non forenſis. l. fi. C. de operib. public. Sed ſolicitudo creditoris imminentis debitori. l. ſi benè. ff. eod. qui quia obi-

ter admonet, ac defunctori petit, vix est vt pro iusto interpellatore habeatur l. 7. §. non solú, ff. ad Tertyllian. Nam nec tempestiua interpellatio ita in Mora debitorem constituit, quin aliquod spatium soluẽdi capiat. l. 1. §. item si. ff ad legem Falcid. Vbi, aliquod, pro paruo capio. l. 7. ff. de eo quod metus cauſ. Vel aliud quod animo concipi faciliùs quàm verbis exprimi queat cum Accursio vt l. ratum. de solution. Quocirca perdifficilis Moræ definitio est, & solertem iudicem desiderat, vt omnia quæ facti non iuris quæstionẽ habẽt. l. vtrum. ff. de donati. inter vir. l. ordine. ff. ad municipal. sic definitionem Plinius accepit lib. 16. cap. 22. de foliis arborum deciduis loquẽs, Falsa inquit, definitio est non decidere his quarũ succus pinguior sit. Cæterùm quid sit Mora tam perspicuè definire licebit, quàm à nobis iam demonstratũ fuit. Paulò meliùs equidem quam ab Accursio solam moram definiente, quæ ex persona vel in personam fieri dicitur à Iurisconsultis, nempè interpellatione petitoris, vel temporis præstituti, non eam alteram quæ ex re; vel in rem fit lege dictante, vt in contractibus bonæ fidei, in legatis ac fideicommissis, & aliis minorum negotiis: aut in delictis. l. in minorum. C. in quibus cauſ. in integr. restit. l. sed & si. §. fi. ff. de vsur. eod. non prætermitto. l. fi. C. de condict. ob turp. cauſ. Moram illam, quæ fit interpellatione petentis, vel diei præscriptæ, communem aut regularem vocant: atqui Mora in rem ab eisdem specialis, aut irregularis vulgò nominatur.

7 Ego si nouitas non displiceret tanquam superuacua, hanc legalem diceremquia sola lex constituit debitorem, seu possessorem in Mora, & vigilat pro creditore, vel domino, vt patet in l. cum vero. §. apparet. ff. de fideicommiſſ. libert. Maximè odio delinquentis, quem iugiter accusat, & cor eius lancinat, vt Vultur Titij iecur in inferis. l. in re furtiua. ff. de cõdit. furt. secundò regularem appellarem Moram interpellatione hominis constitutã, & tertiò ab vtraque secernerem eam quæ tempore conficitur præstituto à contrahentibus. l. vinum. ff. si cert. pet. vel à iudice diem præfigente. l. Celsus. ff. de recept. arbit. vel denique à lege temporis definitrice. l. promissor. §. 1.

ff.de constit.pecun.l.cōtinuus.§.item qui.ff.de verbor.oblig. nec otiosæ sunt differentiæ, cùm multum intersit omniū doctorum consensione, an lex, vel homo, vel tempus solui imperet: & rursus an tempus, à lege vel ab homine præfigatur, vt imposterum videbitur.

8 Postquam admonuero trium morarum illam esse perfectissimam, quæ fit interpellatione legitima hominis: quia tūc petitor haud obscure detegit sibi solui expedire. Nam etsi vulgò dicamus diem præscriptum seuerè interpellare, & tam alto supercilio, vt Mora semel commissa ægrè purgetur si pœnalis adsit stipulatio.l. magnam. C. de contrah. empt. tamen facilè contingere potest, ne cùm tempus venerit, expediat creditori accipere tam citò pecuniam. Ideóque protelet numerationem sibi faciundam, oblatámque respuat: quod si sine causa fecerit, in Mora erit.l.qui decem ff.de soluti. huc pertinet, quod habetur in l.1.§.1.de vsur. socium qui contra bonam fidem inuasit communem pecuniam, sine Mora vsuras prętare. Nimirùm quoniam sine interpellatione obnoxius fit, & Moram in rem contraxit siue legalem non adeò nobilem. Sic tenetur violētus deiector de demortuis animalibus sine culpa. l.1.§.denique Iul.ff. de vi armat. culpam tamen insignem ab initio commisit. & in l.1.§.cum qui de constit.pecu.ff. constituens se debitorem, à promittēte ex stipulatu discernitur propter excellentiam stipulationis. Sic coniuncti re tantum vocantur separati, dum comparantur cōiunctis verbis & re potioribus.l 1.§.interdum.ff.de vsufr.accresc. Sic indebitum dicitur quod debitum vtique est sed natura tantum.l.5.§.imperator.ff.de soluti.

9 Ita denique potest accipi, quod Scæuola dixit nullam Moram intelligi, vbi nulla sit petitio.l.nulla. ff. de regul. iur. vt videlicet de suprema & illustri Mora senserit, quamuis Mora quoque sit illa quam lex stabilit sine homine. l. cum quidam §.ex locato.ff. de vsur. Sed est obscurior & pro nulla, si velit æquari præstātiori.l.curabit.C.de actionibus empti. Vbi quoque potest suppleri dictio alia, id est, nulla alia Mora vt l.2.§. ita.ff.de orig.iur.verbo.sine lege. Sic non obest.l.initio.C. de

pact.inter emptor. Aut aliter, vt illic explicuit Accursius, Moram nullam esse, vbi petitio nulla est vrgens suffecturáque ad actionem, & ab inuito extorquendum quod exigitur. Neque enim sum in mora, si petas rem aliquam ex pacto nudo. l. debitor. de verbor. signif. ff. l. solent. ff. de præscr. verbis, quoniã tutus exceptione Moram non contrahit. l. sciẽdum. ff. de vsur. Aut tertiò Iurisconsultus docere voluit, in quauis Mora licet irregulari, inesse petitionem: quoniam lex præcipit vi propria l. legis. ff. de legib. propterea iubet furem reddere, quod subtraxit, aut moræ effectui subiicit. d. l. in re furtiua. ff. de condict. furt. sic iubet hæredem quamprimùm legata fidei commissáque præstare, aut Moræ conuincit eundẽ. l. cum res. de legat. 1. l. 3. ff. de vsur. Quartò Scæuolæ verba, sic interpretor, vt noluerit quidem moram, sine petitione non inueniri, sed eam pro mora minimè haberi, vbi petitio intercessit, sed ea nulla, id est, nullius momenti. Vt cùm dicimus nullum testamentũ, quod factum mox vanum monstratur: inde dicitur nulla conditio in præteritum, id est, effectu carens. l. illa. § fi. ff. de condit. inst. Et nulla stipulatio. l. certi § quoniam. de rebus credit. aut cum venditio nulla est sine pretio. l. 2. ff. de contrah. empt. id est, effectum venditionis non habet. l. insulam. ff. de præscri verbis. Quare cùm petitio talis adfuit, quæ irrita declaratur, Moram non constituit, vt si pupillus solus interpelletur, quemadmodum idem Scæuola docuit. l. si pupillus. ff. de verbor. oblig.

10 Planè ad Moram perficiendam hominis interpellatione, vna petitio sufficit extra iudicium, vt liquet ex. d. l. Mora. in princip. Vbi ex persona Mora est, si interpellatus opportuno loco non soluerit debitor: quod, inquit, apud iudicem examinabitur. Ergo antequam ad iudicem iretur pro tribunali sedentem Mora præcesserat loco idoneo. Insuper subdit ibi lex, sufficere si denunciatum fuerit debitori, modò creditor non remittat instantiam petendi, id est, inceptam diligentiam efflagitandi. l. 1. ff. de libell. dimiss. Sed porrecta fronte ostendat sacculum se habere hiantem paratúmque recipiendis nummis. Aut animum non deesse fructibus fundi promissi colligendis,

gendis accedit.l.si ex legati causa.de verbor. obligat. Vbi qui interpellatus non dat seruum, in Mora est. Nec aliquis captare debet verbum interpellari, vt ad plures petitiones referatur: aut eadē opera alius posset referre ad iudiciarias vt.l. cum te.C ne vxor pro marit.l.12.ff. de religi. Sed sat est aliquando interpellari, inquit, ingenuè Martianus.l.qui decem.ff. de solutionib.l.illud.ff.de pericul rei vendit. Et qui stipulatur, sibi dari cùm petierit, perinde est, quasi sine Mora dandum stipuletur l.si decem.ff.de verb.oblig. igitur petitio sola infligit Moram apertissimè. Quia intelligit debitor se dare oportere. l.quod te.ff.si cert.peta. Nec obest quod illic Vlpianus ait, prima petitione admonitionem quandam, vnde prima facie non creditur idonea ad moram vna interpellatio: quia admonitio creditoris facit iustam & moræ suffecturam interpellationē. l.magnam.C.de cont.& committ.stipula.sed non facit vt dies incerta suspendat obligationem velut sub conditione, si petiero. Nec vlla interpellatio, seu admonitio moram gignit, si protinus debitor pareat. Non taceo.l.titia.§.vsuras.ff.de legat. 2. Vbi sufficit semel Moram interuenisse, vt vsuræ perpetuò debeantur. Atquin aiunt aliqui particulam, semel, non ad numerum interpellationis, sed ad Moram referri, quæ vt vnica sit, plures interpellationes expetit, fortè sicuti video vnum proponi ad quod perficiendum tria coeant. l. iudicatum.1.ff. iudicat.solui nec aliquis ignorat, semel, pro perfectè vsurpari: vnde semel Mora contracta elui potest l.semel.ff. solut. matr. & libertates quæ semel competierunt, non reuocantur. l.4.§. 1.ff.de fideicommiss.libert.l.celsus.ff.de recept.arbit. veruntamen in d.§.vsuras. Nemo adeò frontem perfricuit, vt neget ibi semel factam interpellationem sufficere: quia ante eam iam debitor erat in Mora legati, cum de fideicommisso tractetur, eóque debito ei qui erat minor. xxv. annis & sic duplici fauore nitebatur. sed post xxv. annum debuit interpellare hæredem iure communi, vt vsuræ deberi perseuerent ex Mora hominis per petitionem commissa: siue, vt volunt, ex mora regulari. Et ita leuicula interpellatio sufficiebat, cùm quæratur de cursu vsurarū retinendo non de inchoando arg l. pa-

tre.ff.de iis qui ſunt ſui vel alien.iur. potiſſimùm cùm à ſimili ad ſimile non difficulter tranſeatur. l. in rem. §. item. ff. de rei vendic. & ſic à Mora vna in alteram.

11 Dubium vehementiùs emergit ex.d.§.vſuras. quî fiat vt deſinat currere vſuræ cumprimum minor euaſit maior. xxv. annis, cùm dubitetur de vſuris fideicommiſſi, in quo licet in perſona maiorum, Mora reipſa contrahitur ſicut in legatis ac bonæ fidei iudiciis.l.in minorum.C.in quibus cauſ. in integr. reſtit.niſi quis putet.d.l.in minorum.ita intelligendum, vt in legatis & fideicommiſſis vſuras dicamus non deberi ex Mora irregulari.l.diui.ff.ad leg Falcid.l. deducta. ad trebell. niſi ſimul concurrat perſona minor. xxv. annis creditrix, quamuis in contractibus bonæfidei promiſcuè maiores minoribus exæquētur.l.1.C.de vſur.legat.hoc namque voluit Diodotianus, non ſolum recepto ſeu communi iure in minorum bonæfidei contractibus ſpontè vſuras accedere, ſed etiam ſpeciali fauore in legatis & fideicommiſſis, & ſic poſſibile eſt hæredem grauatum fideicommiſſo mora carere antequam perueniatur ad iudicem, licet difficilè ſit vt prius non amicè interpelletur, à fideicommiſſario.l.3.ff.de vſur. Qui locus Papiniani perſpicuè probat meam ſententiam: nam ſi difficilè eſt in fideicommiſſo moram non euenire antequam eatur ad iudicem, igitur non ſemper eſt locus moræ à tempore aditæ hæreditatis ſine alia interpellatione, ſed veriſimiliter fideicōmiſſarius hæredem interpellabit, priuſquàm vocet eum in iudicium. Nec quicquam notius eſt quàm legata & fideicommiſſa non eſſe bonæ fidei.l.aliâs.ff.de in lit.iurand.durum profectò eſſet à tempore mortis quo legata ſimulantur tranſire in legatarium.l.à Titio.ff.de furt.protinus hæredem luere vſuras. l.1.§.item ſi ita.ff.ad leg.Falcid.l.titiæ.§.fi.ff.de legat.1. addo.l. ſi legatum. ff.de operib. publ. Vbi aliud permirum eminet, eò quod reſpublica minorū fruitur beneficio.l.pe.C. ex quib. cauſ.maior.tamen illic Vlpianus cenſet ſi legetur ad opus publicum pecunia, tempus largiendum hæredi, intra quod legato, ſeu fideicommiſſo pareat alioquin vſuras penſurum. Sed hoc ideò, quia non confeſtim dari pecuniam ſenſerat teſtator,

imò ad imagines publicè proponendas: quod sui natura dilationem capit, cùm in faciendo eximium quiddam versetur: addo l. siquis. §. stipulatio. ff. de collati. bonor. Hoc amplius pro illa vnica interpellatione iuuerit, quod nec inter vicinos, qui se facili colloquio inuicem adire possunt, lex admonet vt alter alterum plus quàm semel interpellet, ne rem illicitam faciat priùs quàm in iudicium eatur, l. quidam. ff. de seruit. vrban. iam verò qui semel certus est alicuius rei iterum certior fieri non debet. l. 1. §. fi. ff. de actionib. empt. l. ait prætor. §. si quis particeps. ff quæ in fraud. credit.

12 Demùm vnica petitio afficit creditorem, ne variare possit, & aliter petere. l. pen. ff. de leg. commiss. Quare non igitur afficiet abundè debitorem. At dices debitores esse fauorabiliores iure notissimo: fatebor, sed non ibi in pacto legis commissoriæ. l. 2. ff. eod. Quod si etiam vnica nunciatio, vel iactus minimi lapilli impedit verum dominum, ne in suo ædificare pergat, priusquàm remissa per prætorem nunciatio fuerit. l. 1. §. quid sit vi. ff. quod vi, aut clàm. l. 1. ff. de operis noui nunciat. Quantomagis inexcusabilis est debitor, nisi soluat, quod vltrò offerre debuerat. Et certè aliquando debitor seipsum interpellare tenetur, aut vsuras dare. l. si pupilli. §. videamus. ff. de neg. gest.

13 In summam quod vnica interpellatio parsit Moræ perficiendæ, si modò non solemnitas alia per legem præstituta sit ob rei grauitatem. l. 1. §. de inspiciendo. ff. de ventr. inspic. l. ad peremptorium de iudic. ff. & l. 1. de libellis dimissor. ff. Vbi Apostoli per appellantem sæpiùs petuntur à tabellione scribáve, quia ea res præiudicat prouocato victori. & iudicem arguit imperitiæ, vel nequitiæ. l. 1. ff. de appellati. hortantur alij loci iuris, in quibus plures interpellationes singulari ratione accomodantur, vt l. 4. ff. de pignor. action. Vbi non exigebatur debitum, sed creditor aduersus expressum pactum de non vẽdendo pignore idipsum vendere moliebatur, & sic in furti crimen incidere. Ergo trina denunciatio facit, vt creditor eximatur à furto, & rursus, vt vendat impunè solemnibus seruatis. l. 1. C. de iure dom. impetr. quod si debitor vrgeat ex pacto

iuxta cõtractum posito, ne pignus venderetur: replicabit creditor, sibi quoq; non seruatam fidem à debitore, nec solutam maturè pecuniam, & se contra Cretensem, Cretica vti astutia. l. cum proponas. 2. C. de pact. l. 3. ff. de pignor. act. certè non est dubium tres huiusmodi interpellationes interuallum paucorum dierum habere arbitrio iudicis cap. vnic. de milite vassall. qui contumax est, in Feud. Cuius consultò mentionem facio, quoniam & ibi ad arguendum contumaciam vassalli ter repetitur vocatio: quippè cum non de vsuris soluendis, aut de quauis alia rei accessione, sed de tota re prorsus amittenda controuertatur, eáque, quod caput præcipuum est, forensi ritu & curiæ arbitrio opitulatur maximè. l. 2. C. de iure emphyt. & §. est & alia, quæ fuit prima caus. benefi. amitt. in Feud. non enim moram argui sufficit, vt vassallus feudo priuetur, sed offensam insignem, & egregiam, vt Obertus ait, causam ingratitudinis cap. 1. in quib caus. Feud. amitt. aliâs Vassallus sola nunciatione in mora constituitur, quinimò sola scientia, vt primum certò scit domino periculum imminere sin ei cauerit, per nuncium admonens dominũ vt sibi ab hoste metuat. §. ad hoc. tit. hîc finitur lex. Vnde considero in. d. §. est & alia. quæri de vassallo impropriè, id est, nõdum inuestito necdum possidente feudum. Sanè in iis quæ morem iudiciarium spectant, suæ denunciationes præstitutæ sunt, à quarum forma nõ est fas discedere. l. contumacia. ff. de re iudic. d. l. ad peremptorium. ff. de iudiciis, nisi quatenus lex iudicis in manu temperamentum posuit. l. nonnunquam. ff. eod. Non omitto passim in iure legi plures interpellationes creditoris, & inde moram sequi, non quòd sint necessariæ, sed quia non solent superuacuæ solemnitates vitiare negotia. l. testamentum. C. de testam. Itaque lex refert quid creditores curiosi, vel benigni ex abũdanti fecerint, non quid faciendum eis necessariò fuerat. l. si mandato titij. §. pe. ff. mandat. l. Æmylius. ff. de minorib. cui iungatur. l. pe. ff de leg. cõmiss. Videas plerunq; crebrò interpellatũ debitorẽ nõ verbotenus, sed testatione, id est, scriptura testibus vallata l. qui romæ. §. cohęredes. ff. de verbor. oblig. sic explicatur testatio in l. in spõsalib. ff. de spõsalib. l. fi. ff. de

leg. cōmiſſor. Hæc anxietas tuta eſt magis quàm neceſſaria: vt patet in eo qui ſolo verbo nunciare poteſt nouum opus, & mauult adire prætorem, vel teſtato nunciare. l. 1. §. quid ſit. ff. quod vi aut clam. l. de pupillo. §. meminiſſe. ff. de oper. noui nunciat.
14 Certè nemo vetuit creditori quominus debitorem in ius vocet loco interpellationis, quod inciuile eſſe ſupra oſtendi. l. in fidei commiſſi. ff. de vſur. l. quidam. ff. de ſeruit. vrban. niſi fortè contra minorem ætate litigandum veniat. l. fi. C. de vſur. pupillar. l. qui mutuam. ff. mandat. ſed non quiduis illicitum repellitur à lege. l. at ſiquis. §. idem Labeo. ff. de religioſ. fortè etenim creditor maluit vocare in ius debitorem vt teſtimonium habeat factæ interpellationis lictoris vocītis ſcriptura. tamen nuſquam lego emolumentum quoddam ſequi creditorem, ante litem in iudicio conteſtatam. Ex ſola vocatione in iudicium, niſi lex ſpeciatim vocationem requirat. §. ex maleficiis. de actionib. & ita regula cōmunis aliud ſtatuit.
15 Sanè verò conteſtatio perquam vtilis eſt, cum de iis acceſſionibus dubitatur, quæ ex Mora non debentur, ſed duntaxat, à litis conteſtatione, vt in fructibus fundi petiti ex ſtricta cōuentione. l. videamus. §. ſi actionem. ff. de vſur. Idem dicendum vbicunque prætoriam cognitionem res controuerſa deſiderat: quia tunc priuato imperio priuatus non parebit. l. non eſt ſingulis. ff. de regul. iur. l. Cùm poſtulaſſem. ff. de damno infec. nam ſi domus tua ruinam minetur, quæ prius obligata mihi nullo iure extitit, non poſſum tibi vicino iniungere, vt mihi caueas de damno imminente, ſed prætor iubebit aditus, & perſpecta clade minace, prouidebit pro ſua religione. §. 1. de diuiſ. ſtipulat. aliàs in poteſtate eſſet vicini formidoloſi vicinum ſuperuacua cautione onerare & ruinam alienæ domus fingere, quod vitandum venit. l. 14. §. fi. ff. vt legator. ſeu fideicommiſſ. nomine cauea. quocirca iudex prudens, aut te iubebit cauere, aut de poſſeſſione deiiciet, ſaltem ſecundò decreto. l. ſi finita. §. vbi autem. ff. eodem. Cæterùm poſtquam poſſidere cœpit aduerſarius, & iam vſucapere perrexerit, interrumpi nequit curſus vſucapionis, niſi citatione præparamen-

tum iudicij complexa, ut dominij acquirendi ferpens occasio auellatur. l. fi. C. de annal. except.

16 Videamus nunc creditoris Moram, oblationémque debitoris illius Moræ opificem, & periculum oblatæ rei transferentem. l. qui decem. ff. de solution. Si oblatam opportuno loco & tẽpore, sine causa spreuerit. l. si soluturus. ff. eod. Nam iusta causa motus impunè reiicit, & periculum à se amolitur: vt si reproba pecunia offeratur creditori, aut proba quidem, sed erasa & iniqui ponderis. l. creditor. ff. eod. tit. iuxta veram lectionem eius. l. non paucioribus, nec verioribus intellectibus vexatæ, quàm rasi nummi, licet veri inueniantur, non sine falsi supplicio. l. quicunque. ff. ad leg. Cornel. de fals. Sed disquiri opus est, an sola oblatio pecuniæ verbotenus facta à debitore afficiat creditorem morantem, an demonstratio exhibitióque nummorum præsentium potiùs, vel corporis in specie, vt l. in re. ff. de condict. furt. aut depositio apud tertium, ac obsignatio sacculi cereis sigillis, magis desideretur. Totus est in huius quæstionis tractatione Ias. in l. qui romæ. de verbor. oblig. Vbi debitor obtulit tãtummodò pecuniam coràm testibus asserens se paratum soluere, nec totam obsignauit, sicut requiritur in l. obsignatione. C. de solutionib. & in aliis quamplurimis Iurisconsultorum locis, vbi floccifaciũt oblationem verbis nudis factam, qualem pauperrimi quíque debitores libenter exercerent.

17 Nec inquit Iason, dici potest oblationem solam sufficere, cùm agitur de impediendo cursu vsurarum ne incipiat: alioquin si iam inceperit, obsignationem requiri, quoniam in d. l. qui romæ. oblatio nuda interfuit, & tamen vsuræ radices altas egerant, & partim solui inceperant. Præterea si oblatio nugatoria intercessit, cur inhibebit vsuras oriri? aut si vera est sine fuco, cur non proderit debitori, vt ostendam mox in l. qui decem. de solutionib. nec quidem in l. si per te. C. de vsuris talis distinctio probabitur: quando ibi nihil de sola oblatione traditur, sed de pecuniæ oblatæ dispositione. Adeò vt in principio imperator dicat per debitorem, non stetisse quominus minores vsuras solueret quare functus fuit officio suo, vt ma-

iores vſuras effugeret.l. pecuniæ.§.1. ff. eod. quódque ſubdit imperator etiam ſortem depoſitam, ideóque liberari ab vtriſque vſuris debitorem, non eò pertinet, vt in principio quoque oblatio, ſine depoſitione pecuniæ acciderit: ſed hæc eſt differentia, quod prius tractatur de ſolis minoribus vſuris oblatis & depoſitis, in fine vero de tota ſorte.

18 Raphaël Cumanus exiſtimauit in d.l. qui romæ. Ideò ſolam oblationem ſuffeciſſe, quia creditor reſpuerat illam proteruè l.30. & l.qui decem. ff. de ſolutionib. Sed quamuis hic homo plerunque vera ſomniet, tamen animaduerto in d.l. qui romæ, creditorem vtique recuſaſſe oblationem, & tamen obſtrictum manſiſſe debitorem intempeſtiuo loco offerentem in ſortē & vſuras. Accedit quod recuſatio creditoris non debet iuuare ſolam debitoris oblationem, ſine depoſitione & obſignatione, cùm potiùs recuſatio illa creditoris, in cauſa ſit cur deponantur, & obſignentur ſequeſtro quodam pecuniæ. l.creditor.C.de pignorib.l.acceptam.C.de vſur. Itaque inducta ad aliquem finem non poſſunt operari contrarium. l.legata.ff.de alim.legat.

19 Paulò meliùs auguratus eſt Paulus Caſtrenſis in d. l. qui romæ, obtuliſſe debitorem perfectè, id eſt, ſimul obſignaſſe, & tantùm peccaſſe in eo quod alieno loco obtulerat. & huiuſmodi diuinatio colorem capit ex eo, quod teſtatione ſcripta obtulerat, atque ita meo iudicio declarabat ſe ad manum habere pecuniam, nec illudere creditori: ſuccurro adhuc deſtituto interpreti ex l.1. de ſuſceptorib. lib.10.C. Vbi noſtra côiectura roboratur: atque in l. ſi priuſquàm.C.de diſtr. pignor. vbi conteſtationis comes eſt pecuniæ obſignatio: vbi quoque quod obſignatum eſt, paulopòſt oblatum, tantummodò vocatur. vt in l.obſignatione.C.de ſoluti.

20 Quid ſi etiam auſim affirmare ſolam pecuniæ oblationem coram æquo iudice prodeſſe debitori ſæpiſſimè? & magis eſt, vt hoc verum ſit propter reconditum Vlpiani teſtimonium, ad quod tanquam ad aram confugio, ne ab opinionibus incertis diripiar, vt Orpheus vates à Mænadibus parùm ſanis. l. quod ſi epheſi. §.1. ff. de eo quod cert.loc.interdum,

inquit, iudex qui ex hac actione cognoscet, cùm sit arbitraria, absoluere reum debet cautione ab eo exacta de pecunia ibi soluenda, vbi promissa est. Quid enim si ibi, vel oblata pecunia actori dicatur, vel deposita, vel ex facili soluenda? nónno debebit interdum absoluere? In summam æquitatem ante oculos habere debet iudex, qui huic actioni additus est. Ecce quomodò oblata pecunia sufficit ad eripiendum debitorem coram circumspecto iudice nonnunquam, vel citra depositionem facilis solutio imminens extra iudicium. Quid enim si ditissimus debitor obtulerit creditori suo cẽtum aureos, quos tantùm debet? an non iudex postea imputabit creditori, quod accipiendi Moram fecerit? cùm diues & inculpatæ vitæ oblator verisimiliter seriò obtulerit, vel facilè soluere potuerit. vt accidit in l. qui decem. ff. de soluti. Vbi sola fuit oblatio, sed à parato soluere sine vanitate. Nec diuino, quia lex ait creditorem sine causa distulisse: & quia postmodùm debitor fortuitò pecuniam amiserit: habebat igitur eam in numerato. Sic explicari possunt quicunque iurisprudentum loci in quibus oblationis nudæ mentio fit, vt l. si fundus. §. fi. ff. de lege commiss. atque imperatoris nobile pactum in l. 2. C. de pact. inter emptor. vt scilicet res vẽdita restitueretur quoties offerretur emptori pretium. aliter interpretantibus captio ingens emergeret, in offerendi solo verbo, siquidem offerrentur nummi ad conspectum venditoris, non verò traderentur. quocirca non facio vim in eo quod pacto nihil aliud contineretur quã oblatio, sed in eo quod contrahentium voluntas inspiciatur. l. fi. C. quæ res pignor. oblig. atqui hoc voluere contrahentes, vt oblatio traditione pretij denuò firmaretur, & sic venditor reciperet, id quod distraxerat. Non enim ostendisse pretium sufficeret. l. pe. ff. in quib. caus. pignus tacit. contrah. Proinde liquet oblationis solius à candidi animi debitore factam, non modò præpedire aduentantes vsuras, sed etiam liberare à rei principalis periculo. d. l. qui decem. etiam si fur offerat. d. l. in re furtiua. ff. de condict. furt. id est, proferat. l. qui vas de furt. ídq; perspicuè liquet in l. 1. de susceptorib. lib. 10. C. Vbi oblatio volentis soluere & scripto manifestantis est prorsus instar

scrupu-

ſcrupuloſæ obſignationis.d.l.acceptam.C.de vſur. Et hæc benignitas erga offerentem eo magis recipitur, quod licuit creditori explorare,an per fraudem fiat oblatio,ſi dixerit debitori ſe paratum accipere pecuniam oblatam:niſi creditoris ætas ſeu conditio impediret.l.qui mutuum.ff.mandati.

21 At è diuerſo ſi debitor incognitus iudici,ac vulgò, vel cognitus veterator, aut pauper, offerret verbotenus pecuniam, quã de facili ſoluere poſſe non intelligeretur iuxta.d. l. quod ſi epheſi §.1. de eo quod cert. loco, nihil proficeret. quia iura non perinde fidem tribuunt pauperi.l.3.ff.de teſtib. quamuis ſobrio, vbicunque de opibus quæritur non de moribus. l.ſi creditores.ff.de priuil.creditor.meritò audiret à creditore illud Theognidis.

Μή μοι ἀνὴρ εἴη γλώσσῃ φίλος, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ.

id eſt,nullus vir ſit mihi lingua amicus,ſed facto.nam, rerum ac factorum vice verba inania non funguntur.l.1.§. tuliſſe.ff. ad ſyllani.nec mihi oberit.l.ſi venditor.ff. de in diem addict. Vbi ſi væniit fundus ita, vt liceat venditori ſequi meliorem conditionem intra annum ab alio allatam, ſat eſt, ſi vel inops emptor tertius pretio adiecerit. Reſpondeo nihil mirum ſi inopis adiectio effectu vana vigeat, quia ſic placuit domino rei venditæ:niſi falſò ſubiecifſet tam ieiunum emptorem, vt rem à priore auelleret. l. eum qui. §.1. ff. eod. Ergo iuberetur pecuniam deponere, atque obſignare in conſpectu creditoris oblatam faſtidientis.l.creditor.de pignorib.

22 Aut certè non conſequeretur, id quod vult pignus ſibi ſuum reddi,& vſuris multaretur.l.debitor.ff.de vſur.Vbi cõſidero etiam poſt obſignatam à ſe pecuniam Moram à debitore fieri poſſe vſuras penſuram,ſi fortè impediat,ne creditori adnumeretur à depoſitario.d.l.acceptam.C.de vſur.

23 Quòd vero rationi conſentaneum ſit illud quod contendo, oblationem ſolam debiti ſufficere, ſi iudicis animo ſederit,in quo Moræ definitio moderatióque circumagitur.l. ſi ita quis.§.Seia cauit.ff. de verbor.oblig. probatur à ſpeciali ſanctione præcipiente offerri ſimúlque obſignari pecuniam pupillis adoleſcentibúſq; debitã.l.tutor pro.§.1.ff.de adminiſtr.

tut. nam & ſatius eſt apud tertium eam deponi quam perdituro permitti, quamuis in iudicio offeratur. l. 1. § ſi de vſur. d. l. qui mutuam. ff. mand. vbi ſolius ætatis fauor à Iuriſconſulto notatur. Planè in iudicio paratum ſoluere debitorem maiori oblatio tueretur. l. ſi reſiduum. C. de diſtra. pign. ſi modò, vt antea dixi, iudex ſynceram illam, & numerationi proximam, ſenſerit: aliâs deponi & obſignari iubebit. Et ea diſtinctio locum habet non ſolum ſi aliquis liberari tantùm velit ab eo quod debet, ſed etiam ſi velit aliquid conſequi oblata certa pecunia. l. fi. C. de condit. inſert. l. 3. § . ſtichus. ff. de ſtatulib. l. cũ hæres. ff. eod. vbi lex iubet ſeruum libertate donatum, hæredi tunc abſenti cauſa reipubli. dare aliquid iuſſum, vel expectare hæredem reuerſurum, vel id in templum deponere: quoniam præſenti creditori imputari poteſt, quare non accipiat. Nec obſignatio eſt neceſſaria debitori bona fide offerenti: non autem abſenti, & ignoranti imputari poteſt proteruitas, aut aliâs iuſtè impedito, ſiue creditor ſit, ſiue debitor. l. cùm quidam. § . ſi pupillo. l. ſciendum. ff de vſur.

24 Cæterùm quod attinet ad depoſitionem pecuniæ in templum recondendæ. d. l. cum hæres. & l. acceptam. C. de vſur. niſi aliter iudex decernat, ratione nititur: quia tutiùs in loco ſacro ſeruari præſumatur, eo quod tollens rem profanam de loco ſacro iure pontificum tanquam ſacrilegus punitur Can. quiſquis. 17. q. 4. iure autem ciuili fur eſt, ſed duriùs ſolito puniendus. l. diuus. ff. ad leg. iul. pecul. l. 9. eod. Ex quo tabulæ teſtamenti in controuerſiam deductæ, apud virum idoneum, aut in æde deponuntur. l. fi. ff. de tabul. exhib. Sic in fano Saturni pecuniæ publicæ ærarium Valerius Publicola exactis regibus dedicauit, tabulas etiam Reipubl. teſte Plutarcho in problematis, necnon veteres cuſtodiæ ædium ſacrarum Draconem præſtituebant, quoniam, vt notat Macrobius, ſit viſus acerrimi. illic autem rerum pretioſarum & vaſorum copiam & locum reponendis aptum ſemper eſſe quiſque nouit. l. litibus. de agricol. lib. 11. C.

25 Non prætermitto oblationem debitoris ſolam prodeſſe in iis rebus quæ deponi nequeunt protinus, puta in rebus im-

mobilibus,vt in fundo.l. quidam. ff. ſi cert.pet. nuſquã enim lectum eſt eum à quo prædium petitur,& partem eius offert, quam à ſe debitam exiſtimat, ea ſe exuere & ſequeſtro deponere cogi: ſed iudicis officio incumbit adigere petitorem ad accipiendum,aut ei actionem denegare.l.30.ff.de ſolut.

26 Quid ergo,inquam, partémne debitæ ſpeciei, vel quantitatis accipiet inuitus creditor, cum tot incommoda adferat particularis ſolutio?l.planè.ff.famil. herciſc. Dicam quod de hac re breuiter ſentio: Aut pactum de ea re interceſſit, & illi ſtandum eſt.l.fi.§.fi. de fundo dotal. ff. ſin minus, aut debitor ſolutione ſua aliquid vult aſſequi viciſſim, aut vult tantummodò liberari:priore caſu cũ conſtitit debere ipſum, & ſoluit vt quicquam aſſequetur: verbi gratia, vt pignus datum liberet,vt rem venditam accipiat ab emptore,nihil agit,niſi integram ſoluat pecuniam.l.quandiu. C.de diſtract. pignor. l. Iulianus.§.offerri.ff.de action.empt.ecquænam eſt æquitas, quæ patiatur quemquam hominum alij legem dicere quam ipſe non ſeruet?atque ita totum ab alio exigere,cùm partem ſolam offerat.l.cui fundus. ff. de condit. & demonſtr. niſi plures eſſent diuerſæque obligationes rerum quoque ſeparatarum.l.fi.ff.quib.mod.pign.ſoluit.vnica enim ſectionem nõ patitur in vna perſona potiſſimum.Nec me ipſum terrebo à tam ſana opinione propter.l.5.ff.de ſtatulib.Vbi ſeruus liber eſſe iuſſus ſub conditione, ſi rationes & reliqua, vt aſſolet, præſtiterit, ſoluit partem,& de eo quod obſcurius erat dedit fideiuſſores, ac ſic conſecutus eſt libertatem optatam: quia ibi ſeruus ipſe totum ſoluere pro certò paratus fuit, ſed ſuper portione non liquida tantum petiit dilationem iuſta cautione præſtita, ita vt per ipſum non ſtaret quominus totum ſolueret, ſed per genus & naturam negotij impliciti, partímque in faciendo partim in dando conſiſtentis, & in ſatis moleſta ſupputatione.l.cùm ſeruus. ff. de condit. & demonſtrationib. nec fauor libertatis aliud dictat,vt ſcilicet,particulari ſolutione liber aliquando fiat,vt in d.l.5.innuitur. proinde quod habetur in l.4.§.item ſi decem. ff. eod. fauore libertatis per partes quantitatis ſolutionem recipi,perinde eſt atq, ſi dicat lex, hæredem

cogi pecuniam minutis partibus capere à ſtatu libero, ne illi miſero diſpereat: ſed liber non fiet niſi integra quantitas penes hæredem fuerit, & ſic eſt indiuidua, vt l. per fundum. ff. de ſeruit. ruſtic. l. placuit. de collati. fundor. patrim. xj. C. Quod ſi aliquis debitor vult liberari à mutuo, vel à ſtipulatione nihil aliud expectans reciproci præmij, tunc priuatus priuatum creditorẽ cogere nequibit, vt in re liquida debita partem capiat. l. in executione. §. pe. ff. de verbor. obligationib. ſed totius ſummæ nihilominus vſuras præſtabit. l. tutor. §. Lucius. ff. de vſur. niſi volens ſortis partem acceperit cap. ſuam. de pœnis ſicut princeps vltrò exercet in d. l. placuit de collat. fundor. dummodò terna in annum ſolutio non excedatur, vt ibi conſtituitur. Si verò in iudicium ventum fuerit, aut confitetur debitor, aut controuerſiam facit nempè de parte ſpeciei, vel pecuniæ negatione ſola. l. ſi C. quibus ad libert. proclam. non licet: priore caſu cõfeſſionis oblatam partem capiet creditor, in reliquum dabit iudex tempus ad ſoluendum. l. ſi debitori. ff. de iudici. Quoniam partem, cõfeſſione liquidam bonus iudex ſtudens finiendis litibus, impellet accipere creditorẽ fœnoris nimium cupidum. d. l. quidam. ff. de reb. credit.

27 Quod ſi debitor partem duntaxat fatetur de reſidua inficiatur, vt in d. l. quidam. accidit: tunc æquè creditor liquidam capiet, de perplexa litigaturus, ſicut ipſe, ſi volet, partem liquidam coget ſolui ab aduerſario. l. qui ſolidum. ff. de leg. 2. nam poſtquàm Iuriſconſulto placuit creditorem iudicio reliquam perſequi, apertè declarat de parte in confeſſo non exiſtente tractari. Atque ita iudex præſtat æquitate & moderatione ſua, quod priuatus creditor inuitus non admitteret, vt l. 2. C. de reſcind. vendit. ſicut è contrario, ſi benè expendatur. d. l. planè. ff. famil. herciſc. quoties pro numero hæredum vnius creditoris, vel debitoris finditur exactio æris ſui, vel alieni à lege. xij Tabul. l. ea quæ. C. eod. iudex coarctat in perſonam vnius, ſine incommodo cæterorum: cũ etiam poſſit ex cauſa concordiæ inter litigantes coagmentandæ, rem vnius alteri adiudicare. §. fi. de offic. iudic. & in d. l. planè dicitur particularẽ ſolutionem ſæpè incommoda afferre, non autẽ ſemper, ſed vti iudex ani-

maduerterit, vtriuis litiganti cauebit, habens præ oculis non ſemel illud Heſiodi, dimidium plus toto eſſe. Quod ſi quis retorqueat in fundo pro parte dato materiam magis præberi litium ex communione. l. cum pater. §. dulciſſimis. ff. de leg. 2. reſpõdebo huic veneno paratum eſſe remedium iudicij communi diuidundo interim, niſi malit actor ſuſtinere, donec reſiduam partem fundi iudicio aſſequatur.

Obſeruata in partem ſecundam ad Effectus Moræ ſpectantem.

1 *Effectus Moræ ille eſt, vt ab illa incipiat deberi intereſſe, itẽ vſura, & fructus rei.*
2 *Intereſſe, in intrinſecum & extrinſecum diuiditur.*
3 *An ad tempus contractus referatur æſtimatio eius quod intereſt: & quid ſit vinum per iudicem petitum.*
4 *Ante litem in iudicio conteſtatam vini mutui æſtimatio non creſcit.*
5 *Intereſſe an fructus nomine veniat: & quid ſit omnis cauſa accedens rei debitæ in iure.*
6 *Temporis præſtituti reſpectu, Mora magis vrget quam interpellatione iudiciaria.*
7 *A tempore ad locum an ſemper argumentum procedat.*
8 *Cur & quando pro vino petito æſtimatio ſoluatur, non vinum debitum.*
9 *Si creſcat rei mutuæ æſtimatio à lite conteſtata, vſque ad ſententiam, an debitor teneatur, vel prius.*
10 *In contractibus bonæfidei rei æſtimatio à mora, vel à ſententia initur.*
11 *An propter iuſiurandum in litem tempus ſententiæ potiſſimùm inſpiciatur.*
12 *Multùm intereſt in contractu ſtricti iuris vtrum ſpecies, vel quantitas petatur.*
13 *Extrinſeci intereſſe, habetur ratio in bonæ fidei conuentionibus,*

Vt in arbitrariis quoque.

14 Explicatur. §. si per venditorem. l. si sterilis. & iura alia.

15 Vsuræ quo iure reprobentur, & quales tolerentur.

16 Interesse vltra vsuras exigi an hodie poßit, cùm duplū non licebat egredi in vtrouis.

17 Vsuras sine vlla mora deberi posse cum vtilitate debitorum.

18 Vsuras variè stringi lege, & ad finem duplum non excedere, nisi sedulò exigantur.

19 In traiectitiam pecuniam venit centesima duplex, & alia priuilegia nautica.

20 Quanta sit vsura cētesima, & triens ciuitati debita, & vnde illa dicatur verius.

21 An alibi quam in nummis locum habeat, quid de fructibus aridis & aliis.

22 Declaratur. l. periculi de nautic. fœnor. ff. Item pœna quot modis capiatur.

23 A qua mora, & à quo tempore vsuræ currant in bonæ fidei iudiciis.

24 Quid sit currere vsuras à lite contestata.

25 An in condictionem indebiti vnquam vsuræ veniant.

26 In legatis & fideicommißis media via exigendi vsuras seruatur: quid in hæreditate.

27 Pœna certæ pecuniæ est interesse conuentum.

28 An poßit duplum excedere iure Iustiniani.

29 Antichresis in fraudem vsurarum non recipitur in fructibus rerum.

30 Fructus alij naturales, alij industriales, & vtrósque fieri bonæ fidei possessoris.

31 Condictio indebiti fructus industria partos non repetit.

32 Vsufructuarius, non tam citò suos facit fructus quàm bona fide poßidens.

33 Fructus quando percepti dicantur.

34 Fructus extantes quidam, alij pendentes, & consumptos bona fide non restitui.

35 In Mora constituens bonæ fidei possessorem, quos fructus auocet, quid in hæreditate.

SECVNDA PARS TRACTATVS MORÆ.

EFFECTVS MORAE.

SVbdidit opportunè antiquitas à definitione Moræ eiusdem effectus, & certè quemadmodum in Hesiodi Theogonia nox peperit dolorem, & parcam nigram, mortémque ac somnum, καὶ φῦλον ὀνείρων. id est, genus somniorum.

1 Ita Mora parens videtur deformium liberorum: puta, eius quod interest, vsurarum, & fructuum restitutionis: parit etiam pœnam certæ pecuniæ, & periculũ interitus rei debitæ, atque alia quamplurima nõ magis lepida: nec non somnia quædam interpretum in singulorum enarratione, quæ nos quoque sigillatim persequemur.

2 Præfati id quod interest à Bartolo in intrinsecum & extrinsecum, id est, separabile prorsus. § si.de obligat. quæ ex delict. nasc. Non ineptè diuisum: postquam cuique exploratum est interesse (hac enim voce libenter studio breuitatis vtor, petita interim venia à pediculosis grammaticis) esse damnum

emergens,aut lucrum cessans,ex alterius Mora vel facinore.l. si commissa.ff.rem rat.haber.l. vnica. de sentent. quæ pro eo quod interest. C. Vbi placuit Bartolo rei veritatem interius scrutanti intrinsecum vocare,id quod rei inest, accessoriè tamen:nempè ita comitatur rem,vt intra eam esse censeatur potiùs quàm aliud nouũ facere.vt cum vini, vel frumenti augetur æstimatio,aut minuitur. & circa rem consistit,vt loquitur Iurisconsultus in l.si sterilis.§.cùm per venditorẽ.ff. de actionib.empt.differt namque à re interesse,vt plus & minus.l.datio.§.si per.ff.eod.ergo non propriè diuersam facit speciem.l. fi.ff.de fundo instruct.sed tamen à re secernitur interesse, & à rei pretio.l.in furti. ff. de furt. & habet speciem peculiarem, quia diuersum nomen,vt via, actus, iter, amplitudine sicut nomine,sunt inter se differentia.l.1. de seruit. rustic. item diuersam capiunt pretium & interesse originem: nam vera rei æstimatio ex communi & iusta consensione ciuium percipitur.l.pretia. ff. ad leg. Falcid. interesse autem ex aliena culpa nascitur,propter quam petimus damnum susceptum, aut lucrum amissum resarciri, aut certè causa aliena. nam interesse vtroque modò inuenio exigi cõtra culpæ expertem in l. apud Iulianum.ff.ad Trebellian.Sed tamen vltrà rem principalem est interesse.& ideò circa rem à Iurisconsultò cõstituitur:quia quod circa aliquid est non penitus intra idipsum existit. l. 4. C.de religios.Quamuis intrinsecum contiguum appareat, vt intrinsecas domus partes dicimus eidem cohærẽtes.l. prædiis. §.balneas.ff.de legat.3.vt cum propter Moram debitoris vinũ mutuam seriùs reddentis iacturam feci,diminuto pretio, secundò prouentu,auctóve, vnde aliud carius comparaui: iure namque petam, id quod interest propter debitoris Moram,si id quod reddi debuit decem aureorũ pretio,mox xv.emerim. quamuis à principio pacisci non potuissem, vt pro vini sextariis decem,quindecim reciperem,tanquam debitum principale.l.rogasti.§.si tibi.ff.si cert.petat. vnde apertiùs liquet interesse intrinsecũ, discrepare à re principaliter in obligationem deducta.Multomagis sanè extrinsecum, quod ingruit rei occasione,nec ab ea deffluxit:vt si ob vinum serò redditum, vel frumen-

frumentum, familia interciderit. d. l. si sterilis. §. cùm per. ff. de actionib. empt. totum enim hoc damnum non complectitur debitum, aut eius æstimationem: quare extra esse dicitur, & accidere extrinsecus. l. vt tantum. §. in hac ff. de seruo corrupt. l. fluminum. §. vitium. ff. de damno infect. & idem in cæteris accessionibus præter interesse vsurpatur. l. item. §. item non solùm. ff. de petit. hæred.

3 Planè ad quod tempus referatur æstimatio eius quod interest traditur in l. vinum. ff. de reb. credit. sicuti in l. cũ quid. ff. eod. statuitur quoad bonitatem vini ipsiusmet reddendi tẽpus contractus inspici ex verisimili voluntate contrahẽtium. Idem euenit cum alia atque alia stipulatione fundum mihi dare promittis, & deinde eiusdem æstimationem, non animo nouandi, sed vtrumque consequendi, nam æstimatio referetur, ad id quanti fuit fundus tempore secundæ stipulationis. Audiamus iam quam dulci nectare perfusis labiis Iulianus loquatur de interesse vini intrinseco, quod quidem per iudicem petitum est, id est, autoritate iudicis & coram iudice sedente. l. 3. §. si liber. ff. de condict. caus. dat. l. de pupillo. §. meminisse. ff. de oper. noui nunciat. aliter peti soluíve diceretur, sine iudice. l. si commissa. ff. rem rat. haber. Atqui iudex intercedens primò inspiciet, an per contrahentes dies solutionis adscripta fuerit, eam sequetur, vt & præstitutum contractu locum. l. fi. ff. de condict. triticar. d. l. vinum. si vero neutrum expressum fuerit, tunc tempus locúsque inspicietur, quo petitum fuerit. Quomodò autem petitum intelligamus disceptarunt veteres disclusi factione ardua: alij extra iudicium petitum sat esse cẽsuerunt, alij non nisi in iudicio. Cùm petendi verbum ambiguum sit, sicut & verbum interpellationis nonnunquam ad iudicium tantùm relatæ. l. si quis ad se. C. ad legem iuli. de vi publ.

4 Proinde verisimile esse, respectu tẽporis non nisi lite cõtestata petiisse intelligi, nec vocatione quidẽ, vt ius: cuius rei testimonio attulêre antiqui. l. amplius. ff. rem rat. haber. & sæpè petitionis verbo iudiciariũ intelligimus: vt in rubrica, si certũ petatur nempè actione forensi. l. 1. de condict. triticar. ff. Idem

Iulianus in l.si pater.de solut.quid multa?nónne in d.l.vinum expressim dixit,cùm de temporis causa tractatur, per iudicem seu pro tribunali petitum fuisse.Nec obest quod aiunt peti videri etiam extra iudicium , & eam petitionem inducere Moram debitoris:fateor vltrò.l.si decem.ff.de verbor.oblig l.qui decem.de solut.Vbi idem de creditoris Mora habetur:sed nego propter veram solámque Moram in contractu stricti iuris, id quod interest præstari , nisi adhuc conuincatur peruicacia debitoris negantis coram iudice. si enim fateretur protinus, nihil præstaret vltra debitum principale , sed tempus ad soluendum à iudice acciperet.l.si debitori. ff. de iudici. vt liquet in l.fi.ff.de condict.triticar. Nec verò dubium est in accessionibus rerum plus posse litem contestatam quauis Mora , cum debitum exigimus, non autẽ id quod iam nostrum est , vt patet in fructibus fundi,quiquidem redduntur à tempore Moræ in contractibus bonæ fidei,sed in stricti iuris à sola contestatione iudiciaria.l.videamus.§.si actionem. ff.de vsur. quod si (vt antiqui etiam perceperunt) in fructibus hoc locum habet,vt non nisi à lite contestata veniant, si fundum ex stipulatu debeas, quantominus , id quod interest à sola Mora pendetur in mutuò stricti iuris? ratio enim dictat fructus , qui ex re ipsa veniunt velut partus rei,potiùs quàm interesse præstari, vel quàm vsuras.l.indebiti.ff.de condict. indeb. l.1. C. eod. at post litem contestatam tollitur omne dubium.

5 Túncque interesse debetur quod inueni fructus nomine censeri.l.loci.§.1.si seruit.vendicet.& simul omnis causæ cum re principali restituendæ,aut soluendę à suscepto iudicio,non antea.l.cùm fundus.ff.si cert.pet.l.1.§.est autem. in fi. deposit. sic vsuræ omnis causæ appellatione venient.l.2.l.lite. ff. de vsur.Solent mirari quidam, qui cupiunt, id quod interest præstari à tempore Moræ,quomodò in d.l.vinum. Vbi dies certa præfixa est,æstimationem vini ab eadem iniri,& tamen,vt asserimus,à petitione extraiudiciali non idem iuris esse:cùm, vt aiunt,temporis interpellatio non debeat esse potior illa , quæ sine fictione,fit à creditore mutuum reposcente.

6 Sed ipsi hactenus non considerarunt quare adeò præualeat

temporis præfixi interpellatio ei,quæ fit à creditore:quoniam nimirum tempus admonens debitorem vt soluat, non magis illi asperum erit,quàm creditori,si fortè,verbi gratia,dedi vini corbes centum mutuos,ea lege,vt reddasCalendis Septembribus, quid vetat, quominus tunc vinum, expectata propediem vbere vindemia, viliùs vęneat, quàm mense Maio tempore contractus cap.vlt.de vsur. Vbi eiusmodi dubium excusat fœneratorem.l. pe. C. de solut. Sed cum Mora spectaretur facta creditoris interpellatione,simile verò est hunc capturum occasionem petendi eo tempore, quo carò vinum venditur.Ideò itum fuisse aduersus tales insidias,& constitutum,vt lis contestaretur in iudicio,quatenus debitor,inde ad interesse teneretur. Adiiciunt & alij nobiscum aliud rationis: quod tempus præscriptum iugiter admonet debitorem, vt præuideat. l. si Calendis. ff. de re iudic. l. quoties in diem. de verb. oblig. & pręuideri vtique potest non autem creditoris petitio:ideò hæc minus increpat tarditatem debitoris.

7 Verùm redeo à tempore ad locum longè dissimilẽ:quamuis turbam scholasticam mihi aduersam prospiciam,quę totos dies vociferatur argumentum à tempore,ad locum vrgere, & id hoc Iuliani responso superciliose contendit:nec videt arbitrariam actionem æmulam bonæ fidei ratione loci fauorabilioris proponi,non temporis. l. quod si Ephesi.ff. de eo quod cert.loco.§.præterea.de actionib. Sed videt, inquam, tunc id argumentũm vigere,quoties tempus, vel locus non sunt pro certo constituta,sed arbitrio petitoris eliguntur.d.l.fi.de condict.triticar.Sed satis est similitudinẽ in aliquo constare, aliâs non esset morti similis manumissio quæ à seruitute eripit, id est,à genere quodã mortalitatis.l.si mihi. ff. de solution. nam & qui locum alium adiicit, consequenter tempus addit, intra quod ad locum perueniat à loco cõtractus.l.interdum. de verbor.obligat.non è diuerso.

8 Sed cur,quęso,euenit vt pro vino petito iudex condemnet in æstimationem aduersus.l fi.C.de fideicommiss. libert.stolidi namque est iudicis aliud pro alio creditori dari iubere. l.2. §.mutui.ff.si cert.pet.quod si dicamus creditorẽ vltrò petiisse

æſtimationem, iam culpandus non erit iudex, imò potiùs ille qui petit aliud pro alio, vnde cauſa cadere debuit. §. huic autem. de actionib. Bart. ait hic ex neſcio qua neceſſitate aliud pro alio petitum, ſed Iulianus non idem reſpondit: quoniam cautus creditor, vinum ipſum per iudicem & in foro petierat, non vini æſtimationem. Quod autem ſubiicit Iulianus æſtimationẽ vini initam, fateor prorſus ſed ad hoc vt vltra ipſum vinũ ſciretur quantùm oporteret dari pecuniæ à debitore pro eo quod creditoris interfuit, non autẽ pro toto vino. Tametſi fateor creditorem audacter petere vini æſtimationẽ, allegata per nimia Mora debitoris, quódq, ipſe aliundè vinũ cõparauerit, nauibus tempore ſedati maris imponendũ. l. ſed etſi alia. ff. de cõſtit. pecun. l. ſi in lege. §. colonus. ff. locat. Ergo licet Mora non inſpiciatur quoad æſtimationẽ, facit tamen vt rei petitio degeneret. l. in actionibus. §. fi. ff. de in lit. iurand. quem effectum non minimum fruſtrationis notandum admoneo.

9 Diſpiciamus, an ſi vini creuerit æſtimatio à lite conteſtata vſque ad ſententiam, debitor de incremento huiuſmodi teneatur: quod Bart. exiſtimat, in quantitate maximè, quæ perire non poteſt. ſed & citerius tempus adhuc reſpicit antè litis cõteſtationem, puta Moræ, vt ab hac vſque ad ſententiam perpetuò in odium cunctatoris augeatur æſtimatio. l. pe. ff. de condict. triticar. & ita ſibi videtur compoſuiſſe iura diſſidentia in inſpectione temporum: vt ſcilicet tempus litis conteſtatæ cõſideretur, ita demùm niſi Mora præceſſerit: quod ſi Mora vlla fuerit, etiam tempore contractus, vt l. datio. §. ſi per vendit. ff. de act. empt. Vbi Accurſius præluxit in ea opinione, tunc ſerpat augmentum æſtimationis vſque ad ſententiam, vt Mora cuique noceat ſua. l. in condemnatione. §. vnicuique. ff. de regul. iur. nec litis conteſtatio, quæ nulli agẽti nocet. l. non ſolet. ff. eod. debet prodeſſe reo, contra quem inſtituitur, ne ex præcedente Mora teneatur. Sed hæc parum admodum vrgent, atque cum Iuriſconſultorum verbis apertè diſſident. Nam vt fateamur Moram ſuam nocere cuique, non tamen ſequitur ſemper nocere, quoties vltra negligentiam lex expetit, vt lis conteſtetur contra morantem, & quaſi Mora geminetur, &

tunc ei noceat ſicut ſuperiùs oſtendimus. Et vt alij iam animaduerterunt ſuperuacuò, mediusfidius, lex tempus Moræ à lite conteſtata & à ſententia diſtingueret. d. l. pe. de condict. triticar. l. 3. §. in hac. ff. commod. ſi vno verbo dicere licuiſſet, à tempore Moræ perpetuò ad ſententiam creſcere æſtimationem rei petitæ, ſicut ingenuè dicit quando crimen verſatur rei cõuenti pluſquam tardi fruſtratoris, vt in fure. l in re furtiua. ff. de condic. furt. & quiuis prædo plus tenetur de fructibus quàm culpæ ſimplicis reus. l. & non tantum. §. 2. ff. de petit. hæredit. l. pe. ff. rer. amotar. Inde efficitur, vt qui vim commiſit, à principio vſque ad ſententiam incluſam, ad id quod expoliati deiectíque interfuit obligetur in totũ, ſecus in aliis interdictis. l. 1. §. ex die. ff. de vi armat. in aliis etenim retrò nõ habetur ratio fructuũ, priuſquam edita fuerint: ergo nec eius quod intereſt. l. in interdictis. ff. de interdict. quæ ratio vehementer oppugnat Bartolum intereſſe trahentem à Mora commiſſa ad ſententiam ſine vllo delectu, nec videntem ſolam ſententiam quandóque attendi, non tantùm vbi iuratur in litem, vt d. l. 3. §. in hac. ſed alibi. l. vbi. §. 1. de edend. l. pe. de condict. triticar. Denique ducendo intereſſe omnémque cauſam à Moræ tempore, confunderet bonæ fidei contractus & ſtricti iuris, quod non recipitur in d. §. in hac. nec in l. in fideicommiſſi. verſ. in iis. ff. de vſur.

10 Ergo, quod feliciter ſuccedat, vt tot caſſibus & laqueis implicitam iuuentutem, vt meliùs licebit expediam, putem in contractibus bonæ fidei, quos à contractibus ſtricti iuris hîc ſeparo, inſpici alterutrum temporum puta Moræ, vel ſentententiæ. d. l. datio. §. ſi per venditorẽ. de act. empt. etiam ſi Mora à lege ſola ſeu irregulariter inducatur, vt ibi à tempore cõtractus, quo vini venditor pretium accepit, & vinum non cõfeſtim tradidit: ne iniquum ſit ipſum pretio & vino frui vt in emptore. l. Iulianus. §. ex vendito. ff. eod. d. l. in fidei commiſſi verſ. in iis de vſur. ſed obeſt. d. l. 3. §. in hac. commod. Vbi in actione commodati, vt in cæteris bonæfidei iudiciis in litem iuratur, & tempus rei iudicandæ inſpicitur tantummodò, non etiam Moræ, quo pluris fuerit. nec auſim exponere tempus

rei iudicādæ, id eſt, Moræ, vt Accurſius in d.§.ſi per vēditorem. vti Iaſon putat accipi in l.fructus.ff.de rei vendic. Sed eſto, fateamur hoc, non tamen diluet contrarium, cùm longè aliud ſit inſpici tempus ſententiæ, vel Moræ, vtro pluris vinum fuerit in d.§.ſi per venditorem, aliud inſpici ſolùm tempus Morę ſeu, vt aiunt, rei iudicandæ, quam ego pro ſententia ſcio accipi in d.l.fructus, vbi vacillat interpres, ſed non Iuriſconſultus in tractatu rei vendicationis, Moram à rei iudicandę tempore ſecernens in l.Iulianus.1.§.1.ff.eod. Vbi interim docet Accurſius ſententiæ tempus expreſſum à lege non excludere, id quod ſequitur, odio pertinacis in non parendo. ſic rei vendicandæ tempus cùm vendicatur l. ſin autem.§. ſi per filium. ff. eod.l. verum.§. tempus. pro ſocio. res enim iudicanda eſt ſimul atque hiſcere vult iudex prolaturus ſententiam, vt ibi patet. Sed dicendum eſt, vt rem attingam, d.§.in hac. pulchrè congruere iis quæ diximus de vino vendito: aut videlicet Moræ inſpici tempus, aut ſententiæ vtro pluris interfuerit emptoris, qui pretium numerauerat, vt vinum acciperet à fruſtratore: ſed in commodato à tempore contractus Mora non interceſſerat, cū demus commodatum recepturi non illico quidem, quin potiùs finito vſu in quem commodauimus.l.in commodato.§.ſicut.ff.commodat. ne accipiētem beneficij ſpecie decipiamus. & ſeruiendum eſt in hoc cuiúſque contractus poteſtati l. hominem.ff.mandat. quod ſi finito vſu interpellatio conſtitueret in Mora commodatarium, non dubitem eam quoque conſiderari: eò magis quòd aliena re gratis vtitur, & furtum committit, ſi produxerit, vſum inſcio domino.l.qui iumenta.ff.de furt. atqui fur in Mora ſeipſum conſtituit. l. fi. ff. de condict. furt. non omitto etiam mutuum ſic dari, non vt illico reddatur, ſed quandóque, inquit Iuſtinianus.§.1.quib. mod. re contrah. hoc eſt, vt ego ſum ſolitus exponere, opportuno tempore, & cùm primum commodè licebit, ſicut expoſuit Iuriſconſultus in l.rogo.ff.quando dies legat. ſed miror tamen ab aliis aliter explicari, & vitiari.

11 Sunt qui exiſtiment in d.§.in hac. propter iuſiurandum in litem hoc eueniſſe, vt duntaxat tempus ſentētiæ ſpectetur:

nec caret ratione, cùm iurans ex affectione ſua nihil metitus in immenſum æſtimauerit. Ideò iudex temperat & cohibet effrenatam æſtimationem, aut paulò antequam iudicet taxabit ſummam, intra quam iuretur. l. videamus. §. fi. l. in actionibus. ff. de in litem iur.

12 Reſtat de contractibus ſtricti iuris nunc videre, quomodò, & à quo tempore creſcat rei petitę æſtimatio: Et ſi quidem quantitas petitur, non certa ſpecies ſeu corpus, ſed vinum, aut frumentum, aut aurum argentúmve infectum, & ſimilia idonea mutuò faciendo, tunc non eſt diſcedendũ à regula, quam tradidimus, vt à tempore litis conteſtatæ ineatur æſtimatio, nec creſcat. d. l. vinum. ſi cert. pet. l. in fideicommiſſi. verſ. in iis. de vſur. Si verò petatur ſpecies quæ in mutuum cadere non poteſt. l. 2. ff. ſi cert. pet. ſed in ſtipulatum, vt hominem dari, aut lancem, aut fundum, tunc à tempore Morę metiemur ęſtimationem, vt poſt longam diſputationem definitur in d. l. pe. ff. de condict. triticar. nec propterea dicendum eſt meliorem eſſe conditionem eius qui ſpeciem debet, quam qui quantitatem vini, frumenti, olei, quũ inſpecto tempore litis conteſtationis duriùs agatur cum debitore: ideò quod in poteſtate creditoris eſt quãdo agat in iudicio. l. pure. §. fi. ff. de doli except. & ſic eliget, ſi velit, tempus inſtituendi litem quo magno pretio ſpecies cenſebitur. id euidenter aperitur in l. hominem. ff. mandat. Vbi in ſtipulatione contemplamur tempus quo agitur pro homine certo promiſſo, niſi Mora præceſſerit: ergo Mora potius inſpicienda fuit quàm conteſtatio. His refragatur, fateor, d. §. in hac. l. 3. ff. commod. Vbi quamuis ratio habeatur ſententiæ dum iuratur in litem pro re commodata ex conuentione prorſus bonæ fidei, tamen in ſtricti iuris negotiis litis conteſtatę tempus inſpicitur, nec dici poteſt quæri hic de quantitate ſeu genere potius quàm de ſpecie, vt in commodato bonæ fidei, aut eſſet diuinatio parum veriſimilis, ſi quis diceret propoſito themate cõmodati bonæfidei in certo corpore verſantis tranſiri ad genus, ſeu quantitatem ſtricti iuris. Reſpondebo, ſi hoc cuiquam durum videatur, conſideret, obſecro, eandẽ eſſe compagem illius. §. loquentis de certa ſpecie,

& in qua iuratum ſit, ideóque dubitari de iureiurando in litem præſtito tam ſuper commodato bonæfidei quàm ſuper ſtipulatione ſtricti iuris, in qua iuratur in litem pro certò homine mortuo poſt promiſſoris Moram. §. fi. l. in actionibus. ff. de in litem iur. quo caſu ad litis conteſtatæ tempus referetur ęſtimatio hominis cùm, vt Martianus ait, aliter non poſſit ęſtimari res quæ non extat. nec miretur aliquis hoc eſſe ſingulariter conſtitutum, cùm & aliud ibi cõcurrat, vt ex Mora ſeu culpa ſola citra fraudem iuretur in litem. l. videamus. §. fi. & l. 2. eod. tit. Vbi dolus & contumacia aliàs facit iurari in litem, & fuſiſſimè æſtimari quod intereſt.

13 Et hæc ita iure cõſtituta ſunt quoad intereſſe intrinſecum. non enim vocem hanc reſpuo propter. l. prædiis. §. balneas. de legat. 3. de extrinſeco alibi ſum pluſcula dicturus, ne me aura fœcundi tractatus in altum longiùs euagari faciat. Obiter dicam extrinſeco intereſſe ſatis indulſiſſe iura, in arbitrariis actionibus, quæ ratione loci adiecti nobilitantur præ iis quæ ſtricti iuris ſunt, & in ſua natura manent, vti iam attigi: vt ſi creditori debuit Epheſi ex pacto reddi pecunia, nec reddita eſt ſolito merces comparare, vnde lucrum non fecit aſſuetum nedum damnum paſſus eſt, vtrumque pręſtabit debitor, etiam vltra vſuras legitimas. l. non vtique. §. fi. ff. de eo quod cert. loc. Idem, velint nolint Doctores, obſeruatur in actionibus à nobili ſtirpe genitis, id eſt, bonę fidei. l. venditor. ff. de euict. Vbi venditor mancipij pòſt euicti tenetur tam de partu ancillæ, & ſic de eo quod intrinſecus oritur, quàm de hęreditate illi relicta, & occaſione ſerui extrinſecus obueniente, vbi hęreditas erat intereſſe extrinſecum prorſus, nec domino ſatis tutum, ſi ſeruus proteruus nolit eam adire. l. pretia. ff. ad leg. Falcid. vel, ne quid taceam, erat intrinſecum, ſi ante venditionem ſeruus iam erat hęres inſtitutus ab extero, atq; ita pluris multo veriſimiliter vęniit, pariturus ſaltem blandienti domino emptori. l. 53. §. ſi ſeruus qui. de furt. & quanti ſit acceſſio ſerui non inſpicitur. l. ſi in emptione. de contrah. empt. certè eſt pars pretij augẽdi. l. ſi ſterilis. §. ſi tibi. de act. emp. & hoc patet in d. l. pretia. ff. ad leg. Falcid. licet ibidem dicatur in pręſentia,

id eſt,

id est, in falcidia, pretium serui instituti ipsi hęredi non computari pro legatariorum commodo. quia alibi aliud iuris igitur erit. sed in hac parte fauetur hęredi, qui vicissim ingruentia damna à morte testatoris subit. l. in ratione. 2. ff. eod. vnde cumulatur commodis quibúsque extrariis impunè.

14 Nec me abalienat, ab hac sententia. d. l. si sterilis. §. cùm per venditorem. ff. de acti. empt. vbi non auditur emptor, si petat omnem vtilitatem amissam cessatione venditoris, nisi circa rem sit: non si potuit negotiari & lucrũ facere, aut si dicat ob triticum coemptum, nec traditum, familiam fame intabuisse: non prætermitto quod aliquibus placuit creditorem in culpa non minus fuisse q̃ debitorẽ cessantem, quia tardiùs in iudicio contra venditorem experiri incœpit, qui scit se debere. Neque enim, inquit Paulus, maior fit obligatio quod tardiùs agitur, quamuis crescat, si vinum hodie pluris sit. Cæterũ non hæc fuit mens Iurisconsulti: quoniam eodem modo circa interesse intrinsecum dilatio creditoris multanda venerat, si interim pretium frumenti augeretur perinde atque in extrinseco. Quinimò non imputatur cuiquam agendi Mora, nec obiurgatur. l. meritò. ff. de vi. armat. Proinde, vt semel dicam, vult Paulus admonere lectorem, ne suspicetur interesse intrinsecum deberi idcirco emptori, quod tardiùs egerit, & lucrum ex sua astutia, aut desidia nancisci. l cum quidam. §. 1. de vsur. Sed magis ex cessatione debitoris qui potuit offerre frumentum postquam accepit eius pretium: quia saltem, inquit, hodie dandum est, quod iam olim dari oportuit. Dicamus itaque quod verum ac planum est: nempè cum per venditorem steterit quominus rem tradat, omnis vtilitas emptoris in æstimationem veniet, quæ modo circa ipsam rem consistit. protinus subiungit, non idem esse in vtilitate extrinseca. Quia non omnis præstabitur emptori, sed cum quadam mediocritate. Ergo ambæ vtilitates differunt: quia omnis intrinseca præstatur creditori, extrinseca autem præstatur nõ omninò sed cum temperamento: eget enim fræno, ne in immensum prosiliat. l. vnic. C. de sententi. quæ pro eo quod interest. quin etiam cãcellis quibusdã olim iam coercita est intrinseca. l. cum forte.

ff.de acti.empt.propter rationes expressas in.l.titius.§.fi. eod. non vbique, etsi constet inuidiosum esse interesse æstimatoribus.l.fi.de prætor.stipul.ff.vbi semper à bonis iudicibus coarctabatur.Nam emptor frumenti se transmarina negotiatione Crœsi lydi opes acquisiturum comminisceretur: deinde familiam seruorum enectam inedia,quasi aliundè corradi nequiret cibus.sed pretium tritici,non seruorum fame necatorum consequetur,id est,non consequetur omninò : quia consequi non censetur qui in solidum non consequitur.l. soluendo. ff. de verbor.signif.& cùm dicimus bona possideri,omnia intelligit Accursius.l.fulcinius.§.pe.ff.quib. ex caus. in poss.eat. quamquam hic non oportet dictionem,omnis,subintelligi, sed trahi positam in principio.§.ad sequẽtia.l.talis.§. fi.ff.de legat.1. verùm hoc manifestiùs explanatur ab Hermogeniano in l. fi. ff.de pericul.& commod.rei vendit.venditori si emptor Moram,inquit,in pretio soluendo fecerit vsuras duntaxat prçstabit, non omne omninò quod venditor Mora non facta consequi potuit: veluti si negotiator fuit,& pretio soluto,ex mercibus plus quam ex vsuris quærere potuit.si omne omninò non præstat,ergo aliquid.l.1.§.pe. ff.si mens. fals. mod. & dilucidè in l.si ita quis.§.Seia cauit.ff.de verbor.oblig. nam personæ & negotij ratio habetur.l.si quando.C.vnde vi.nam si vltra vsuras in emptore habetur ratio eius quod interest in.d.l.3.§.fi.de eo quod cert.loc.quare secus in venditore?quia particula,duntaxat,in d.l.fi.de pericul.rei vendit.non excludit interesse vsuris persimile.d.l.1.§.pe.si mensor fals. mod. de quo traditur in l.illud.ff.de ædil.edict.sed ita vt moderatum æstimetur,ne temerè auscultetur effuso in licentiam petitori, cùm iam vsuris potiatur. Quinimò has duntaxat habebit, si verum amplectimur,integras:id autem quod interest ad exiguum redigetur,vt assolet.d. l. fi. ff. de prætoriis stipulat. maximè quia extrinsecum exigitur, nisi certum esset vt in l. nummis. de in litem iur.

15 Vsuram certatim vellicant & improbant Philosophi, Theologi,& pontificij iuris autores, apud illos enim ex nihilo nihil gignitur,& tamen vsura tẽpore solo producitur non

à summa principali quæ semper integra remanet. l. vsura. ff. de verbor. signif. vnde mirandum est, cur à Græcis vsura τόκος, id est partus, appelletur: quia vulgò, vt opinor, pecunia vsuram parere dicitur, & sine ea est sterilis. l. si benè. l. debitor. ff. de vsur. & Varro fœnus à fœtu deduxit, vt est apud A. Gellium. sed hunc pecuniæ fœtum oderunt pij scriptores non minus quàm Cato, à quo cum quæreretur quid liciti fœnerari haberet: quid, inquit, hominem occidere, vt refert M. Tullius lib. 2. officior. vnde Deo ille gratus dicitur Psalmo. 14. qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. & pontifices fœneratorum oblationes à sacris repellũt velut abominosas cap. 3. de vsur. quin etiam iure ciuili infames fiunt, qui illicitas vsuras exercent. l. improbum. C. ex quib. causis infam. irrog. tametsi pensiones rerum locatarum ius omne approbet, quæ vsu nimirum atteruntur, vt ædificia: vel fructum ferunt suis conductoribus, vt fundi: at pecuniæ per se infrugiferæ nullum detrimentum patitur creditor, cum per omnia similẽ sit recepturus. ideò vsura pensionibus odiosior. l. si ea pactione. C. de vsur. vsuras autem licitas, inductas more, ius ciuile tolerat non propter creditorum lucrum, sed propter Moram debitorum, qui tempestiuè soluentes possunt se vsurarum pondere releuare. l. cum quidam. §. si pupillo. ff. de vsur.

16 Et quia Mora debitoris interdum insignis est & vehemẽter culpanda, permittit lex vltra vsurarum fines præscriptos, id quod interfuit creditoris ex causa petere. l. 3. §. fi. ff. de eo quod cert. loc. vbi Accurs. quęrit, qualiter hoc euenire possit, cùm interesse nequeat excedere duplũ, non magis quàm vsura. l. vnic. C. de sentent. quæ pro eo quod inter. l. si non sortem. §. supra. ff. de condict. indeb. sed dici potest lege Iustiniani interesse vbique fuisse dupli limite strictum, non antea. vel meliùs dico ab interesse superatam fuisse vsuram, & hodie superari posse breui tempore, si mea repentè interfit, quia frumentum venditum opportunè mihi non tradidisti tertiò, vel quartò mense, vel alias merces, negotiari solito, saltem vsque ad duplum petam, id quod interest, ita vt æquet æstimationem mercis principalis, vsura autem nisi cursu prelongo centum

Calendarum ſortem non exæquabit, licet maxima, id eſt, centeſima duodecim aureorum in centenos quotannis.

17 Superioribus etiamnum obeſt, quod ſine vlla Mora penduntur vſuræ certæ: vt quotidie dātur nūmi, ita vt à tempore mutui debitor quinos, aut plures aureos pręſtet in centenos l. cùm quidā. ff. de vſur. l. lecta. ff. de reb. credit. Vbi fructui rerū comparantur vſurę, & vicē fructuū obtinēt. l. vſurę. ff. de vſur. & coercetur tutor qui non exercuit fœnus pecunię pupillaris. l. ob fœnus. ff. de adminiſtr. tutor. vnde patet. d. l. cùm quidā. §. ſi pupillo. ſic intelligi oportere, cùm ait intelligi vſuras non propter petentiū lucrū, ſed propter Morā non ſoluentium, vt ſpectet tantùm ad vſuras ratione fruſtrationis exigendas, & in vindictā ceſſationis prænimiæ, quod innuit Iuriſcōſultus vtēs infligēdi verbo, & vt ſemel dicam, quæ ſunt perſimiles ei quod intereſt, d. l. illud. de ædil. edict. verius q̄ aliæ ſine Mora natæ ſubitò planè illæ vſurę, quæ repentè naſcuntur inſtar fungorū ex conſenſu paciſcentiū, lucrū tantùm inſpiciunt creditoris, proinde angue peius odioſæ ſunt ſapientibus & tamen legib⁹ & conſuetudine admittuntur: non quia gratę bonæve ſint, ſed quod anſam pręſtant maioris damni vitandi. Satius namq; erit debitori æs non habenti mutuum capere, & ſuſtinere tantiſper verſura facta, & mutuis nūmis acceptis ſub vſuris duriuſculis, q̄ cogi lares fundóſque auitos addicere aut incōmodè vēdere, proinde Iul. Capitol. in Anton. Pio Auguſto: Idē fœnus trientarium hoc eſt, inquit, minimis vſuris exercuit, vt patrimonio ſuo plurimos iuuaret. & hoc liquet in l. 1. & 2. C. ſi aduerſ. creditor. nēpè ex odioſa pecunia fœneratitia ſæpiſſimè lucrū debitoris ſequi, vt ex veneno antidotū, ſi cōmodè concinnetur. l. q̄ ſæpè. §. 1. de contrah. empt. ff. quoniā placuit è duobus malis minus eligendū, vel Cōſil. Tolet. autoritate can. duo mala. 13. diſt. pleraq; alia odit lex, quæ perpetitur, vt exceptiones longi tēporis vti puniat deſidiam dominorum. l. fi. C. de Annali except. Verùm eadem lex, ne ſerperet vſurarum licentia neceſſario magis quam grato introducta remedio.

18 Variis modis illas cohibuit, & quibuſdam cancellis compreſſit, vt patet ex eo quod attigi de duplo earum, ne vnquam ſcilicet plus ſorte extendantur. d. l. ſi non ſortem. §. ſupra. de

cōdict.indeb.vbi nec vſurarũ vſuræ colligi poſſunt ſed nec ex vſuris noua ſors cōflari.l.fi.C de vſur.tamen Anton.Imper in l.vſuræ.C.eod.ſic dupli vetitam exactionē tēperat,vt ad vnicã ſummam referatur fœnoris nomine ſoluendam ſemel, & tūc ſorti æqualē.quòd ſi creditoris pluries vſurarũ nomine ſatisfactũ fuerit,non cumulabũtur minutæ ſummæ fœnoris cauſa ſolutę,vt ſorti cōparentur ſimul,vel vt eam ſuperent;ea ratione,ꝙ creditori diligenti,& aſſiduo iura opitulãtur.l.pupillus. quę in fraud.credit.rurſus quãdo creditor ſegniùs quàm par ſit nec ſuo quoque tempore,exigit vſuras,prȩſumitur dulcedine vſurũ id facere,vt verbo Vlpiani vtar in l.ait prætor.§. ſi fraudator.ff.eod.quò ſcilicet implicitum ſortis & omnium vſurarum mole debitorem obruat,&prȩdium cogat diſtrahere,maximè auarus mercator,de quo Manilius lib.4.Aſtronomici.

Nauigat, & ſteriles optando ſortibus annos

Dulcibus vſuris æquo quoque tempora vendit.

19 Sanè in pecunia traiectitia,quæ trans mare vehenda periculo nauigat creditoris, recipi videtur duplicatio non ſortis tantùm ſed etiam vſuræ centeſimæ in tali credito permiſſæ. l. 4.ff.de nautic.fœnor.Vbi quod in ſingulos dies in ſtipulatum deductum eſt,non vltra duplum centeſimæ debetur, ſic enim priſca lectio ab Accurſio iure recepta , ab Alciato reiecta , habet.lib.parerg.vj.cap.xv.nam & alibi olim duplex centeſima viguit.l.2. C.de vſur.rei iudic.ſi enim de duplo ſortis ibi tractaretur , nihil eſſet ſingulare in huiuſmodi pecunia peritura creditori.l.3.eod.& ex pacto iuxta contractum mutui ſine ſtipulatione actionem pro vſuris habitura.l.in quibuſdam. eod. tit.l.3.C.de vſur. & longæ nauigationes hoc ſuadent, quibus explendis ducentę calendę vix ſufficiunt,dum piper quęſitum mercator vadit aut dum præter votum in alias terras longè iactatur,aut procellis ad portum vnde digreſſus erat, redire cogitur.l.Cæſar.ff.de publican. Planè pontifex ſcribens vſurarium cenſendum,qui ſuo periculo nauiganti dedit pecuniam aliquid ſupra recepturus in cap. fi.de vſur. non propterea forenſi arbitrio vſura priuari declarat. nam & iure ciuili vſuræ nauticę legitimę putantur.d.l.4.ff.de nautic.fœnor.nec quiduis illegitimum lex vlciſcitur,contenta id vituperaſſe. l. 7. §.

ad tempus.ff.de interdict. & releg. apud Paulum lib. 2. receptarum ſententiarum in titulo de vſuris ſcriptum eſt, traiectitiam pecuniam propter periculum creditoris quandiu nauigat nauis infinitas vſuras capere poſſe. ſed vt arbitror, ad duplũ centeſimæ hæc infinitas coarctatur. l. fideicommiſſa. §. ſi quis decem. ff. de legat. 3. nec nouum eſt infinitum pro quàm maximo accipi, maxime ab autore non ſatis probato. Ergo cum Iuſtinianus in traiectitiis pecuniis vltra centeſimam vſuram iri vetuit in l. eos. §. ſuper. C. de vſur. non vetuit duplicem centeſimam colligi, ſi prolixa nauigatio ducentas Calendas abſumpſerit.

20 Inde namque centeſima dicta eſt, quòd ſingulis calendis vſuræ percipi à creditoribus ſolerent, & intra centum menſes æquarent ſortem, vt primus animaduertit Hermolaus Barbarus in poſterioribus annotationibus in Plinium, enarrans Pauli locum in l. 3. §. fi. ff. ad leg. Falcid. ſi reip. in annos ſingulos legatum ſit; cùm de lege falcidia quęratur, Marcellus putat tantùm videri legatum, quãtum ſufficiat ſorti ad vſuras trientes eius ſummæ quę legata eſt colligendas. id eſt, ſi ſeſtertij quaterni annui, verbi cauſa legati fuerint, perinde habebitur, ac ſi ſemel centum repręſentare hęres fuiſſet iuſſus, quia de centum aureis ſingulis annis quaterni percipiuntur vſurę triẽtis nomine, & plerunque Reipublicę debitores morantes tertiam centeſimę, quę eſt aureorum. xij. in centenos pendunt, vt idem Paulus explicat. l. cum quidam. §. fi. ff. de vſur. & hoc eſt fœnus trientarium quod ſuperius ab Antonino Pio humanè exercitum retulimus. Tametſi quadrantes vſurę, ſeu quartam centeſimę attingentes leniores ſint in auth. hoc ius. C. de ſacroſ. Eccl. trium nummorum in centenos, poſtquam ad centeſimam pręcipuam omnes vſurę referuntur, ſemiſſes, beſſéſque, Alciatus in diſpunctionibus eleganter adduxit ex nubibus Ariſtophanis ſenem optantem, vt lunę exortus ab incantatrice ſiſtatur, vt ita creditoribus vſuras non pręſtaret, lunam in vaſe rotundo tanquam ſpeculo incluſam ſeruans, vti iocatur Strepſiades, ſciens vtique circumuerti vſuras & creſcere inſtar oſtreorum lunę motu ſicut vulgò ferunt. Quinetiam,

quemadmodum obseruaui, veteres etiam calendis consueuerant fœneratitiam dare pecuniam: quod didici ab Horatio lib. 1. Epodon, vbi fœnerator Alphius,

Iamiam futurus rusticus,
Omnem relegit idibus pecuniam:
Quærit Calendis ponere.

Vnde Calendarij seu libri rationum appellatio, quòd in eo perscriberetur pecunia mutuatica mox exigenda, vel ex alio contractu fœnori data. l. vxorem. §. legauerat. ff. de legat. 3. alij vulgò referre malunt ad vsuras singulis Calendis colligēdas. vtrunque verum esse potest.

21 Cęterùm centesimas vsuras non solum permisit Iustinianus ratione pecunię numeratę nauticę in d. l. eos. §. super. sed respectu quoque specierum fœnori datarum vt olei, frumenti, vini: hęc enim species vocantur. l. 1. & 2. de nauicul. lib. xj. C. si modo traiiciendę dentur periculo creditoris, expresso pacto. l. fi. C. de nautic. fœnor. licet alibi non ignorem procliuius accedere incrementa vsurarum per nudum etiam pactum domi procul à mari his speciebus propter incertum & locis ac temporibus variabile pretium, quàm pecunię numeratę. l. frumenti. l. oleo. C. de vsur. tamen in nummo traiectitio idem ostendi euenire, nec egere stipulatione. Planè modus adhibetur circa tales species quoad agricolas debitores, ne fœnoris ratione obligentur vltra octauam partem modij quotannis, sicut nec vltra aliquam pro quouis solido. §. 1. nullum credent. agricolæ. in auth. Col. 9. Vbi in fructibus, seu speciebus aridis tantum hoc strinxit Imperator nempè in tritico hordeo milio, non in vino, oleo pomísve esui paratis. Propterea quod, vt puto, libentiùs se horum causa obligant rustici vt ferant, soliti in nouum annum secundos prouentus expectare, & non semel deludi: nec ad alias personas ea sanctio transfertur, licet dixerit in omnes saluberrimam extendi, hoc est, in omnes agricolas subditos imperio Romano, nedū in eos qui Mysiam secundam incolunt, quorum querimonia legi materiam præbuerat, vt præfatur Iustinianus.

22 Sunt qui putent in terra periculum rerum & euentus du-

bij suscipientibus creditoribus centesimam probè dari.l.periculi.ff.de nautic.fœnor.Scæuola respondit periculi pretium esse,& si conditione quauis pœnali non existente recepturus sis quod dederis,& insuper aliquid præter pecuniam:si modò in aliam speciem non cadat, veluti ea ex quibus conditiones nasci solent:vt si manumittas,si non illud facias,si non conualuero.&c.Nec dubitabis si piscatori erogaturo in apparatum plurimum pecuniæ dederis, vt si cœpisset, & athletæ vnde se exhiberet exerceretque,vt si vicisset,redderet in his enim omnibus & pactum sine stipulatione ad augēdam obligationem prodest. Verùm hic nihil agi de vsura cētesima vel quauis alia facilè cognitu est,quia illa crescere non potest nisi lapsu temporis,quale plurimùm in nauigationibus teritur:atqui si quisquam credat pecuniam piscatori,vt si iactus retis feliciter succederet,solueret centesimam, id est, xij. aureos in centenos, quid quæso lucri intra mensem consequeretur,amissurus pretium sagenæ & longi apparatus pro lucello tenui? idem in eo, qui palæstritæ nummos fœneraret,vt si vicisset,redderet cum vsuris mari assuetis pusillis quidem breui certaminis diurni curriculo. Verius igitur est in cōuentionibus potissimùm consuetudinem spectari, si dubitatio emerserit. l. semper in stipul.ff.de regul.iur.l.si quis argentum. C. de donati. consueuerant autem Romani athletis erogare pecunias,vt spectaculo magnificè interessent & ludis sacris sicut in Græcia, vt coronas reportarent, & commoda præmiorum non frondibus tātùm ornata sed auro etiam.l athletæ.de excus.tut.ff.l. commodis.ff.de re iudic. consueuerant quoque fœneratores aliquid plus exigere quàm mutuum dedissent,& ad id obligare athletas,& similes personas fortunæ euentum expectantes.l. non est.§.si fœnerator.ff.de eo quod met. caus. videbatur autem non valere obligatio, quia re contrahitur obligatio in mutuo,nec pro decem datis vndecim exigi possunt. l. si tibi. ff.de pact.l.rogasti.§.si tibi.ff.si cert.petat.tamen hic statuitur contrarium à Scæuola:quoniam creditor suscipit in se periculum dubij euentus nec tam plùs reposcit quàm dederit summæ principalis,quam ex lucro, quod sequetur athletam, vel

vel piscatorem fortunatum, partem capit sed mediocrem, vt innuit Iurisconsultus, insuper aliquid præter pecuniam receptum iri docens. hîc enim, pręter, particula, cùm sequatur post genus excipit speciem, non addit, id est, pecuniam in pretium periculi capere non licet, sed præmij quod athleta assequetur instructus, vel prædæ piscatoriæ, creditor particeps fiet moderatè, vt dictio, aliquid, infert in proposito. l. ex conducto. §. pe. ff. locat. l. si fundus. ff. de lege commiss. & hoc erit pretium periculi, id est, pensatio siue merces: l. si vestimenta. ff. de condict. ob turp. caus. Seneca in Medea. Quod fuit huius pretium cursus? aurea pellis: maiúsque mari Medea malum: merces prima digna carina: si modo in aliam speciem, inquit Scæuola, non cadat, id est, dissimilem à periculi alea. l. Labeo. ff. de supell. legat. vt in casibus, quibus conditiones nasci solent: vel, vt alij legunt, condictiones, id est, repetitiones vulgares, si non feceris, id quod à te expectabam, l. quia quod. de dona. inter vir. ff. vel si non contigerit. l. senatus vers. ergo. ff. de donat. caus. mort. vnde conditio deficiēs pœnalis est ac molesta debitori, à quo repetitur datum. Laxum enim est pœnæ nomen pro cruciatu quouis siue supplicio. l. diuus. 1. ff. de custod. reor. & pro usuris. l. pe. ff. de nautic. fœnor. elegantiùs in l. qui sine. ff. de negot. gest. vbi ratio quoque redditur sic pro interesse. l. fi. ff. de eo quod cert. loc. sed talis conditio nihil commune habet cum euētu periculi insignis, cuius susceptio prodest in aliis creditori: quia solo pacto nudo interposito aget contra piscatorem non tam ad vsuras, ne obsit. l. 3. C. de vsur. quàm ad augmentum principalis obligationis, si pisces multos extraxerit, vt Scæuola in fine perspicuè ostendit eius augmenti mentione facta, si, vt iam dictum est, nummi non promittantur sed portio obuentionis. certè in contractibus bonæ fidei pacto solo incontinenti debentur vsuræ sine vlla Mora. l. publia. §. 1. deposit. ff. vt ex Mora sine vllo pacto vti proximè demonstrabo.

23 A quo autem tempore debeantur vsuræ restat dispicere: an à Mora, vel à lite contestata. Et certè in bonæ fidei negotiis constat à Mora deberi eas, l. Mora. §. in bonæ fidei. ff. de vsur.

ſed hęc Mora cùm ſit irregularis vulgò appellata, ſine vlla interpellatione accipienda eſt, eo ipſo quo quis non ſoluit citò, id quod ſcit ſe dare oportere, vt cùm emptori res tradita eſt, nec illico pretium ſoluit. l. Iulianus. §. ex vendito. ff. de actionib. empt. & cùm legatum præſtandum eſt minori. xxv. annis. l. in minorum C. in quib. cauſ. in integr. reſtit. de qua abundè ſupra retulimus. idem in negotiorum geſtore, qui ex quaſi cōtractu obligatur amico, cuius otioſam detinet pecuniam. l. qui ſine. ff. de neg. geſt. veriùs ergo ſocius ſocio vſuras pendet occupatę pecuniæ. l. 1. §. 1. de vſur. ff. Vbi dictum eſt pendi vſuras Mora non interueniente, quia Mora hæc irregularis ſine interpellatione vlla hominis perficitur. l. nulla. ff. de regul. iur. eſt tamen Mora ſed obſcurior vt antea aſſerui. l. initio. C. de pact. inter emptor. Porrigitur hoc à directa actione bonæ fidei ad contrariam, quamuis ſtricti iuris negotium in eam inciderit: vt ſi mutuatus ſim pecuniam pro te, cuius negotia candidè gero, vſitatas in ea regione vſuras perſolues. l. & in contraria. ff. de vſur.

24 Quod ſi negotium ſeu conuentio per ſe ſtricti iuris fuerit, vt ſtipulatio, & ei affinis donatio, mutuúmve, non niſi à lite conteſtata venient vſuræ. l. lite. ff. de vſur. l. eum qui. ff. de donationib. ſicut etiam dicitur in fructibus, quorū vice vſuræ funguntur. l. videamus. 2. ſi actionem. ff. eod. & l. vſuræ. vnde cum in l. quoties. C. de condict. ob turp. cauſ. dicitur non poſſe vſuras peti per eum, qui condicit quod aduerſarius turpiter accepit, puta, vt depoſitum redderet: eò ſpectat, vt præteriti temporis vſuras non petat, ſed poſtmodum poſſit petere poſt litem conteſtatam, & tunc petet omnem cauſam. l. cùm fundus. ff. ſi cert. pet. l. emptor. ff. de nouation. in fideicommiſſi. verſ. in iis. ff. de vſur. Igitur lite conteſtata vſuræ currunt in ſtrictis negotiis, id eſt, currere incipiunt vt l. ſi aliena. ff. de vſucapi. in bonæ fidei verò curſum cœptum, velut impellente iuſtitiæ vento, alacriter perficiunt: quia vocatus fuit in ius, in quo ſtructus ſtare debet. niſi tam iuſtam dubitandi litigandíque cauſam habuerit, vt Moræ expers intelligatur. l. ſi quis ſolutioni. ff. de vſur. ne metu litis ius ſuum indiſcuſſum relin-

quat.l.illud ff.de petit. hæred.

25 Quamobrem arbitror condicentem indebitam pecuniam non repetere vſuras eiuſdem, ne à lite quidem conteſtata, vt planè intelligo in l.1. C.de condict. indeb. donec probatione eum conuicerit quo cùm agit: errans enim accepit ab errante, & ſe iuſtum creditorem ſuſpicatus, alioquin fur eſſet. l. quoniam.ff.de condict.furt.& ita ſemper morator.l.in re.ff.eod. Proinde cùm litem conteſtatur etiamnum dubitans, erranti ſimilis eſt & ignoranti.l.fi.C. de condicti.indebit. vnde cùm nondum ſibi liqueat indebitè acceptam pecuniam, porrecta fronte litem conteſtabitur immunis ab onere vſurarum. d l. 1. eod. vbi Accurſius perperam exiſtimauit dictum de indebita pecunia ad cæteras pertinere, nec videt alibi lite conteſtata iniri omninò malam fidem.l. ſed etſi lege.§. etiam.ff. de petit. hæredit.

26 In legatis & fidei commiſſis media quædam via tenenda eſt, quoniam bonæfidei quidem non ſunt.l. alias. ff. de in lit. iuran. Cæterùm pro eis datur tam perſonalis actio ex teſtamento, de qua ibi Iuriſconſultus, quàm actio in rem propter dominium, quod in legatarium tranſire putatur. l. huiuſmodi.§.fi.ff.de legat.1. & quia in rem actio imitatur bonam fidem in acceſſionibus rerum petitarum. l. videamus. §. ſi actionem.ff.de vſur.ideò fit vt vſuras, pecuniæ legatæ, vel fideicommiſſo præſtandæ non à Mora irregulari confeſtim à morte teſtatoris vel ab adita hæreditate exigendas arbitrer, ſed ab ea Mora quæ ex perſona interpellata, non ex re, fit. l. Mora ff.de vſur.ſic intelligo.l cum res.ff.de legat.1. quoniam talis Mora petitionem legatarij, & fruſtrationem hæredis caput deſidioſè ſcabentis poſtulat.l.qui ſolidum. ff. de legat. 2. l.diui.ff.ad leg. Falcid.ſed hoc in perſona maiorum xxv. annis non in minoribus petentibus.l.in minorum. C. in quib.cauſ. in integr.l.titia.§.vſuras.ff.de leg.2. quia iis in rem Mora ſine petitione vlla fieret. Idem cenſeo ſi certo loco præſtandum legatum fieret arbitrarium.l.ſi hæres. ff. de eo quod cert. loc. d.l.in fideicommiſſi. verſ.in iis. de vſur. quippè cùm bonæfidei naturam omninò ſaperet. Idem iuris eſt in vniuerſali iu-

dicio petitionis hæreditatis in gregem bonæ fidei actionum tandem allecto, partim in rem, partim in personam comparato. l. hæreditatis l. fi. C de petit. hæredit. nam ab interpellatione & denunciatione ritè facta extra iudicium vsuras trahit pecuniæ redactæ. l. item veniunt. §. petitam. ff. eod. sicut in legatis & fidei commissis singularibus, bonafide non perinde decoratis, nec ita stricto iuri aggregatis, quin vsuras habeant ante litem contestatam. Itaque quod dicitur in l. 1. & fi. C. de vsuris & fructibus legat. exigi eas à tempore quo lis contestata est, non excludit tempus Moræ præcedentis, vt rectè notat Accursius, qui iuuari potest l. 4. ff. finium regund. & id frequētiùs inspicitur, quia vix contingit iri ad iudicem quin priùs in Mora hæres fuerit. l. in fideicommissi. ff. de vsur. argumēto est quod in l. equis. ff. eod. fructus fideicommissi à Mora præstantur, & tamen. d. l. 1. C. de vsur. & fructib. legat. meminit litis contestatæ; sed idcirco non excludit præcedentis temporis Moram sicut nec in l. si aliena. ff. de vsucap. Vbi procedit vsucapio rei alienæ emptæ, si bonam fidem emptor habeat initio traditionis, tamen etiam tempore contractus eadem sine dubio expetitur. l. 2. ff. pro emptor. & in deposito dicimus periculum esse rei conuenti post iudicium acceptum. l. si in asia. §. fi. ff. deposit. cùm idem sit anteà post Moram. l. quod te. ff. si cert. pet.

27 Iam verò pœna pecuniaria, de qua priùs quā de fructibus velut immaturis libet differere, quid est aliud quā fœtura quędam Moræ? sufficitur enim consultissimè in locum eius quod interesse actoris propter promissoris dilationem. l. si ff. de prętor. stipul. nam cùm id quod interest in facto consistat. l. quatenus. ff. de regul. iur. & licet à Iustiniano limitem acceperit, ne duplum egrediatur rei principalis communiter æstimatæ l. vnic. C. de sentent. quæ pro eo quod int. adhuc incertum est, atque in facto versatur: quia nescitur quousq; protendi queat citeriore quantitate. vt si res sit centum aureorum, iam exploratùm est cuique non progredi interesse vltra totidem aureos: verùm dubitatio superest, num ad viginti vel quinquaginta potiùs tantúmodò procedat. vt si vita hominis pro certo vltra

centum annos non exeritur. l. fi. C. de sacrosf. Eccles. non continuò certam metam habet, cùm plerique primo vel secundò anno intercidant. Meritò Doctores qui interesse trifariam diuiserunt, in commune illud notissimum item singulare, quod sua affectione verisimili singuli homines metiuntur. l. libertus qui. ff. de bonis libert. pœnam tertiò vocauerunt interesse conuentum, quid mirere cum Iurisconsulti è diuerso paria facientes mecum significent interesse videri pœnam incertam, at pœnam prorsus interesse certum, sed prouidentia quadam definitum à contrahentibus sicut nihilominus interesse vocatur, licet à iudice postmodùm taxetur qui gaudet hoc se onere ab illis leuari. l. 1. §. inde quæritur. ff. de oper. noui núciat. itaque illi non semel ipsum interesse vocant pœnam minime conuentam nec taxatam. l. fi. ff. de eo quod cert. loc. d. l. vnic. C. de sent. quæ pro eo quod inter. idem in l. 1. §. si plures. ff. de eo per quem fact. erit. Tametsi non ignorem pœnam præstitutam facere ne quæratur quanti interfuerit: quia ideò introducta fuit vt incertitudo æstimationis interesse vitaretur. l. stipulatio ista. §. alteri. de verb. oblig. ff. l. 3. ff. eod. & sicut victores hostium domitorum titulos sibi arrogant, vt Iustinianus, modò Gothicus, modò Vandalicus, & Senatusconsultum Macedonianum de odióso fœneratore triumphans. l. 1. ff. ad Macedon. sic pœna dicetur interesse conuentum, quia fugauit illud quod incertum & vagum fuerat, quoties ipsa intercessit. Idque patet in d. l. fi de prætor. stipulat. quasi sit interesse taxatum à partibus non expectato iudice.

28 Quocirca puto pœnam non posse excedere duplum rei, quoties subrogatur in locum interesse. & hoc satis innuit Iustinian' in d. l. vnic. pœnas in plurali moderamine dignas scribens: non adfero vulgarem regulam, qua ferunt subrogatum sapere naturã eius, cuius in locum ponitur: vtpote cùm videã interesse manere incertũ cùm pœna certissima sit. sed dico pœnam magis egere cohibitione, cùm certiorẽ iacturam adferat promittẽti quàm interesse, quod potest, & solet, à iudice stringi. d. l. fi. ff. de prætor stipul. si verò pœna sufficiatur in vicem rei principaliter promissæ nihil vetat eam egredi rei æstima-

tionem.l.apud.§.Labeo.ff.de doli mal except. vt in l. non distiguemus.ff.de recept.arbit.Vbi liquet pœnam non adiici loco intereſſe,ſed in vindictam contempti arbitri litem principalem dirimentis.nam pœna adiicitur vice quanti ea res ſit.l. non autem.ff.eod.igitur loco ſummæ principalis,vt interpretatur Iuriſconſultus.l.193.ff.de verb.ſignif. itaque talis pœnæ adiectio non impediet vſuras exigi, cùm pœna ſit poſita vt fungatur rei principalis partibus,nec vetet vſuras peti pecuniç accedentes poſt Moram.l.Lucius.cum l.ſeq.ff.de act.empt. atqui cum pœna additur loco vſurarum, earum iuſtam quantitatem non iure egredietur. l pœnam.ff.de vſur.l. cum allegas.C.eod manifeſtiùs in l.Iulianus.§.idem Papinianus. ff. de act.empt. & pœna tunc lucri nomine cenſetur. l. id quod. de ſolutionib.ff.vſura namque coercenda fuit, ac pœna colorem illius induta,quæ ſortis ſimul exactionem præ ſe fert:non autem pœna quæ ita petitur,vt nihil ampliùs exigi queat.

29 Sed nec in fraudem vſurarum antichreſim facere licebit, vt ſupra legitimas exigantur in pignoribus, quorum fructus pertinent ad debitorem dominum.l.2. C.de pignor. acti. niſi conuentum ſit,vt fructus in vſuras cedant creditori.l. ſi is qui §.1.ff.de pignorib.ſed eas legitimas,ne vberes fructus pro tenui ſumma fœnoris aſſumatur.l ſi ea C.de vſur. quod vero vſuræ inflictæ pœnam ſimulent, patet. l. qui ſine.ff.de negoti. geſt.

30 De fructibus, quorum reſtitutionem à Mora metimur, videre libet exiguo tractatu, nec interim minùs feraci quàm Alcinoi regis hortus nobilis ab Homero laudatus, pomis hyeme ac æſtate conſtanter durantibus,Zephyro cultore gaudens,& fonte gemino limpidis aquis ſaliente, ac vinea frugifera.Fructus autem alij ſunt naturales, qui nullam vel exiguã hominis operam quotannis deſiderant: alij ſunt induſtriales, qui ſerendo ex facto hominis repetito proueniunt, in numerum horum frumenta qui ſationem anniuerſariam deſiderãt, non vites vel arbores.l.cùm manu.de contrahen. empti. & legumina quiſquam iure repoſuerit in naturalium albo.Iuriſcõſultus ſcribit poma & ligna ex ſylua cædua. l. fructus. ff. de

vſur. nempè in pomorum numerum colligens, nuces, ficus, & vuas eſui adſeruatas. l. qui fundum. ff. de verbor. ſignific. item oliuas. l. in fraudem. §. conductor. ff. de iure fiſc. nam etſi verum ſit frumentum & legumina naturæ plùs debere quàm induſtriæ, tamen Doctores aptiſſimè eos vocauerunt induſtriales tanquam minùs naturales quàm reliquos. ſicut legem Iuliam de vi priuata dicimus recipi, cùm ſine armis vis fit: quæ tamen eſt publici iudicij ſed nõ adeò vt armata. l. 1, de public. Iudic. §. recuperãdæ de interdict. quinetiam oleum vinúmque factum fructibus naturalibus aggregantur. l. ſi eius. ff. de rei vendicat. nã & ſi curã ſummam hominis deſiderent, tamen implantata ſemel olea, vel vinea non ampliùs ſatione annua renouari expetit, & natura pertinax & perẽnis arború potiùs quàm induſtria ſubſequens inſpicitur. §. venditæ. de rer. diuiſi. l. qui habent. ff. de tutel. ſic aurifodinæ & cretæfodinæ, item marmor renaſcens, vt in Gallia & in Aſia ponit Papianianus in l. diuortio. §. ſi vir. ff. ſolut. matrim. diligentiam periculoſam eruendi deſiderant, tamen fructus planè naturales appellantur, & non minùs quàm induſtriales fient bonæ fidei poſſeſſoris: quod nõ vidit perſpicax aliâs Bartolus: & ego admodum iuuenis detexi hallucinari eum in d. l. ſi eius. dum putat vinum & oleum induſtriæ deberi, quia vtrumque ad bonæ fidei poſſeſſorem ſpectet, cui non niſi induſtriales fructus conuenire obſtinatè affirmauit: ſed Iuriſconſultus omnes omninò fructus aſcribit bonæ fidei poſſeſſori: nec tantùm, inquit, qui opera & diligentia ipſius prouenerunt, quia quoad fructus loco domini penè eſt. l. bonæ fidei. ff. de acq. rer. domi. à domino vero vtique ſuperabitur poſt Moram, vti fuſiùs videbitur. l. videamus. §. ſi actionem. ff. de vſur. l. fi. ff. de publician. Item in partu ancillæ, qui in fructu non eſt. l. qui vas. §. ex furtiuis. ff. de furt. §. in pecudum. de rer. diuiſ. quod non percepit Accurſius ſentiẽs ſuperari ipſum à domino quoad fructus naturales, & fruſtrà explicans, omnes fructus bonæ fidei poſſeſſoris, quĩ diligentia eiuſdem, vel aliena prouenerũt: ecquomodo dictio, penè, quæ non niſi paucillum aliquid poteſt excipere. §. ius autem. de iure natur. exciperet fructus naturales, qui ſine dubio præcellũt

industrialibus. diu namque vixerunt homines pomis spontè naturæ editis, vnde glandis appellatione lex omnes fructus arborum complectitur.l.1.ff.de gland. leg. quia prisci glande vesci consueuerant donec,vt in Fastis Ouidius dixit,

Prima Ceres,homine ad meliora alimenta vocato,
Mutauit glandes vtiliore cibo.

Adde,vt dixi,vinum oleúmque naturæ dotibus deberi magis quã industriæ,nec non prata quibus ad fructum percipiẽdum pro iumentorum alimonia,falce tantùm opus est.l.pratum.ff. de verb. signif. quamquam fatear industriam accedentem & irrigantem ductilibus aquis plurimum ipsis succurrere:vt pomiferis omnibus arboribus,si commodè putentur, aut pastinentur.non possum silere vsumfructuarium potiri omnibus fructibus & obuenionibus supinum.l. 7. ff. de vsufr. & sylua cædua ac pomis.l.item si.§.fi. eod. l. plenum. de vsu & habit. quanto magis bonæ fidei possessor,potior fructuario,& domino exæquatus.l.qui scit.§.præterea ff.de vsur. quid, quæso, aliud sensit Pomponius improbè vexatus in l.fructus. ff. de vsur.dum ait mulierem ex re sibi donata à marito poma sua nõ facere,nec ligna syluæ cæduæ, sed frumenta quæ seuit gnaua & solers.naturales enim fructus non fiunt eius, sicut, inquit, nec cuiuslibet bonæ fidei possessoris igitur patet poma & similes fructus naturæ munere porrectos fieri bonæ fidei possessoris,sed non cuiuslibet vt ostendi alibi ex phrasi frequentissima.l.marito.ff.de adulter.vt cùm non quilibet metus dat restitutionem in integrum,sed maioris mali.l.5.ff.de eo quod met.caus.l.3. ff.ex quib.caus.maior.nam verè bonafide possidens sine delectu quoslibet fructus lucrifacit legitimo empti, donati,legati,aut alio æquè honesto titulo fretus:at mulieris titulus ex liberalitate viri æger est pro possessore vsurpatus.l. quod vxor.ff.de acq.poss.finge illam ius ignorare, & ideò bonafide accepisse fundum à viro.l.sed etsi lege.§.scire. de petit. hæreditat. ff. tamen quia lex impedimento est, & cum titulo eius rixatur,nec in ea parte iuris ignoranti expressè ignoscit. l.fi.C.de iuris ignor.ea bonafides non præstabit idem quod veritas.l.179.ff.de regul. iur. quare fructus naturales subtrahit,

non

non eius partos solertia, vt vsuras pecuniæ donatę. l. ex annuo. ff. de donat. inter. vir. vsuræ enim naturæ non congruunt, sed ciuiles vulgò accessiones appellantur, attamen si maritus donator morte confirmet donatum vxori intra legitimam aureorum quingentorum summam, vel aliàs ex insinuatione præcedēte, putem donationem retroagi quoad omnes fructus sine distinctione. l. donationes 1. C. de donati. inter vir. licet à nemine hoc animaduersum sit, quod attinet ad explicationem d. l. fructus de vsur.

31 An non rectè sensi in Dialogis cap. cv. in eo qui condicit indebitum, vt fructus naturales repetat ex fundo, quem errās erranti soluit: industriales ei non inuideat, qui bona fide fundum coluit. l. indebiti. ff. de condict. indebit. l. 1. C. eod. vbi vsuræ pecuniæ indebitæ non repetuntur per condictionem soluentis ab illo qui inepto titulo, vel nullo verius, acceperat imprudens ab imprudente l. 1. ff. eod. vnde dubitari solet, an soluens indebitum distrahat potiùs quàm contrahat obligationem. §. pe: de oblig. quæ ex quasi contr.

32 Reuertor sedulò ad bonæ fidei possessorem titulo idoneo insignitum, quem prætuli fructuario, vt & Paulus in l. 13. ff. quibus mod. vsusfr. amitt. si vsusfructuarius, inquit, messem fecit, & decessit, stipulam quæ in messe iacet, hæredis eius esse Labeo ait. spicam quæ terra teneatur, domini fundi esse. Fructúmque percipi spica aut fœno cæso, aut vua adempta, aut excussa olea, quamuis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta sit. Sed vt verum ėst quod de olea excussa scribit, ita aliter obseruandum de ea olea, quæ per se decidit. Iulianus ait fructuarij fructus tunc fieri, cùm eos perceperit, bonæ fidei autem possessoris, mox quàm à solo separati sunt. Iulianus hîc Labeonem non penitus reprehendit, sed fusiùs explicat, id quod dici consueuit, bonæ fidei possessorem separatos illico à terra fructus sibi acquirere: fructuarium autē nō nisi perceptos. l. qui scit. §. præterea de vsur. §. is verò de rer. diuis. certè ab initio dum ingreditur ius vtēdi fruendi, hos sibi quęrit, qui vt pars fundi seu arboris putantur. l. si pendentes. ff. de vsufr. l. fructus. 2. de rei vendic. nondum egreditur.

33 Cæterùm quomodo percepti intelligantur, videndum venit ampliùs quam Doctores perspexerint, qui duos eius rei gradus tantummodò faciunt cæsorum excussorúmque fructuum: deinde reconditorum: cùm debuissent tres gradus facere: nam medium prætermisere, quando spica cæsa ab agro in aream importatur: vna lecta in lacus: & olea excussa in tabulata digeritur, vel molis ac trapetis protinus subiicitur, nisi immodica multitudo baccarum vincat laborem vt loquitur Iunius Columella lib.xij.cap.50. fœnum etiam cæsum vehiculis imponitur secunda collectione.l. si eius. ff. de rei vendic. cui adstipulatur.l. instrumenta. ff. de fundo instr. vbi describuntur instrumenta, quærendi, cogendi, & conseruandi fructus rusticos. Ideóque primus gradus legendi ipsos fructus sufficit bonæ fidei possessori hæredíve eius, non fructuario, nisi secundum saltem attigerit, per quem ipsi fructus percepti intelliguntur, si non perfectè coacti factíque dici merentur. quare si olea per se deciderit, non sequetur fructuarij hæredem, licet lecta fuerit antequam oleum factum extiterit: cùm duo gradus collectionis necessariò requirantur fructuarij labore & industria absoluti. Proinde lex prospiciens fructuario admonet syluam cæduam fœnúmque cædere intempestiuè, & oliuā immaturam legere.l. si absente. §. fi. de vsufr. sed in oliua non mirandum est, cùm immatura plus habeat reditus. l. pe. ff. de vsufr. leg. nam Plinius lib. 15. cap. 3. oliuas caducas arborem exugere, & hærendo vltra suum tempus venientibus alimentum præripere, docet. Sanè percepti à fructuario fructus intelliguntur ij, qui per colonos antea lecti sunt, tametsi adhuc pēsiones debeantur à colonis respectu fructuum.l. defuncta ff. de vsufr. Idem in operis serui locatis in quo habetur vsusfructus, pro rata temporis fit diuisio inter hæredes fructuarij mortui, & proprietarium.l. si operas. ff. eod. id est, cùm seruus locauit operas, quæ facilè diuiduntur.l. in stipulationibus. §. fi. de verbor. oblig. nisi annuam præstationem seruus fuerit stipulatus: quia tunc fit diuisio hæredi fructuarij vtilior, cùm anni cuiúsque principium inspiciatur. l. in singulos. de annui legat.l. 18. §. cùm seruus. de stipulat. seruor.

34 Sed instabit aliquis aduersus bonæ fidei possessorem, cui fructus omnes addicimus simul atque à solo separati erunt, & ostēdet nihil ei frugiferum ex talibus fructibus superfuturū, nisi quamprimùm ipsos consumere & glutire studuerit: quoniam extantes fructus cùm re ipsa tenetur bonæ fidei possessor restituere domino rem vendicanti l.certum.C.famil. hercisc. siquidem fructuum alij sunt pendentes, arbori vel solo hęrentes, qui etiam stantes vocantur.l.si pendentes.ff.de vsufr. l.diuortio.§.interdum.ff.solut.matr.& à lectis differunt.l.si apes, §.fi.de furt.ff.pendētes autem partis loco fungi iam diximus. Alij sunt fructus collecti, ab arbore agróve separati: & horum rursus, alij sunt extantes, id est, in rerum natura existentes l.3. C.de condict.ex lege, alij verò sunt consumpti, vt ibidem habetur: nimirùm malafide possidentem pro extantibus fructibus rei vendicatione, pro consumptis autem conditione teneri.extat enim, quod in rerum natura est.l.si seruum.§.fi.de act. empt.l.7.§.hoc edictum.ff.de damno infect. Quod si verum est bonæ fidei possessorem cogi fructus reddere cum fundovēdicato, studebunt sedulò fructus consumere, vt proci Penelopes, ante litem contestatam, statim atque iudicij limen imminebit.nec quidem consumptos omninò suos facient, cùm teneantur eosdem cum sumptibus in rem factis compensare. l. sumptus.ff.de rei vendic.l.emptor.ff.eod.sed hęc non obsunt: quia consumptio fructuū repentina vtilis erit ei qui alienauerit eosdē, & pretio fruetur.nec tātùm consumptio iuuerit cādidum possessorem, sed etiam furem in aliquo.l. nam etsi fur. ff.si cert.pet.adde quod bona fide consumi fructus oportuit.l. 4.§.post litem.ff.fin.reg. Vbi animaduertendus locus est cōtra vafrum nebulonem fructus de industria consumentem. Et quòd fructus compensat cum impensis concurrentibus, non est iniurium: quia cum domino vero rei disceptat, à quo tandem superatur in principali negotio tanquam dominus ipse commentitius.

35 Adhuc videtur bonæ fidei possessorem fructus perceptos ac consumptos refundere ei, qui petit quod suum fuit, id est, quod vendicat iure dominij, idque à tempore Moræ. l. solùm.

ff.de rei vendic.l.videamus.§.si actionem.ff.de vsuris:vbi perspicuum est Moram contrahi interpellatione extra iudicium. l.Mora.eod. quamuis lis contestata non fuerit, vel acceptum iudicium,& ideò à Mora fructus repeti in actione in rem æmula bonæfidei,cùm sit arbitraria.§.præterea. de actionib, sicuti Paulus aperit in d. §. si actionem. Prætereo desiliens alacriter,tanquam spinetum,id quod Doctores congerunt, vt se hinc extricent & considero circa fructus perceptos ab eo, qui bona fide cœperat possidere, triplex tempus: vnum ante vllam Moram,& tunc omnes fructus sibi quærit licet extantes in horreo.post Moram verò & ante acceptum iudicium lucratur duntaxat consumptos bonafide,dum putat iustè sibi quęsitum fundum,nec eius fructus deglutit properè, vel dilapidat. posteà neutros prorsus.l.4.§.post litem. ff. fini. regund. Sanè qui denunciationibus Moram committit iam luxat à bona fide.l.item veniunt.§.petitam.ff.de petit.hæred.nisi prætendere iustam resistendi rationem possit ne domino repetēti quod suum existimat obsequatur.l.illud.&.l.sed etsi §.scire.ff. eod. nec dimoueor à sentētia propter.l qui scit.§.fi.de vsur.vbi videtur litis contestatione nō multari fructibus bonæ fidei possessorem,nisi plenè euictus fundus fuerit, idest, iudicio condemnatorio.sed euictus dicitur destinatione litem contestantis petitoris. sic missus dicitur in possessionem is qui mitti vult.l.3.ff.ne vis fiat ei.sic eripit,facit,tollit,qui tantùm conatu vult.§.huic autem de actionib.Vel certè exitu sententiæ iudicis tantùm metimur an actor iure litem instituerit condemnatione,quippè cùm absoluto defensore nullos ei fructus extorqueamus:ideò tādem re vera fundus euictus apparet.l. 24. ff.de liberal.caus. Scio autem circa vniuersale iudicium petitionis hæreditatis minus faueri possessoribus bonam fidem allegantibus quàm in rerum singularium possessione:cùm error non perinde excusetur in iis quæ rariùs eueniunt. l.iusto. ff.de vsucapionibus.vnde fructus augent hæreditatem,quatenus factus est locupletior qui boná fide possedit.d.l.illud.§.in bonæ.ita intelligitur.§.& si hæreditas.de offic.iudic.certè fructuum quoque fructus augent ipsam hæreditatem.l.sed etsi.§.

fi.l.seq.ff.de pet.hæred.sed non qui bona fide consumpti fuerunt.d.l.sed etsi.§.consuluit.

36 Quod dicitur, Malæfidei possessorem rem cum fructibus teneri restituere domino, pertinet ad fructus perceptos: item ad eos, quos ampliores ipse rei possessor, si fuisset diligentior, & culpæ expers, percepisset: vel quos, inquam, dominus verisimiliter collegisset, nisi desiisset alieno astu possidere. l.domum.C.de rei vendic.l.si nauis.§.fi.ff.eod.atqui Accursius in l.si fundum.C.eod.arbitratur ibi de perceptis tantùm respondere emptorem, cui denunciatum fuerat ne emeret: propter titulum quem habuit iusti contractus. verùm lex quæ de perceptis solùm mentionem fecit, non excludit percipiendos, quorum tamen non meminit: quia nulla ibidem fuerat de illis controuersia: & nonnunquam prædones bonis viris diligentiores existunt: & malæ fidei venenum inficit titulum vēditionis.l.si fraude.C.de præscr.long.tempor.præsertim cùm in d.l.si fundum.denunciatum fuisset empturienti: non esse fundum venditoris.l.ait prætor.§. si quis particeps. ff. quæ in fraud.credit. Vbi nunciabatur emptori, ne emeret à vero domino, sed creditoribus obnoxio: & tamen sola huiusmodi testatio arguit ementis dolum. & sicut Iurisconsultus fructus vsque ad sententiam includens non excipit eos qui post venient.l.Iulianus.1.ff. de rei vendic.vbi Accursius.§. per hanc. Vbi fructus omnes propterea in restitutionem veniunt, quantomagis si quis à non domino dehortatus coëmerit? Imperator Maximinianus igitur de perceptis verba faciēs, de quibus tantùm rogatus fuerat, non excludit percipiendos, in eodem Vlpiani responso. sed nos lenissimè dicere solemus vno expresso aliud negari: quod Iurisconsulti non seruant. l. habere. de verbor.signif.vbi habere dicitur quis id quod obtinet, sine interpellatione cùm emerit.sed idem est, si alio titulo acquisierit.sic in l.si debitor.quæ in fraud.cred.ff. minoris pretij fit mentio, tamen in maiori idem est iuris.& l.1.ff. eod. rescindit prætor gesta cum eo qui fraudem non ignorauit, eum nihilomagis conseruet, si ignorauit in titulo lucratiuo, vt docuit Accursius.sic superiùs ostendimus iura loquentia de periculo rei

depoſitæ ad reum poſt litem conteſtatam pertinente, non excludere tempus præcedens Moræ.l.ſi in Aſia.§.fi.ff.depoſit.Sanè de percipiendis non tenetur poſſeſſor dum præceſſit Mora domini vel culpa, ita vt liceat poſſeſſori rem incultam dimittere,vt fundus,verbi gratia,filicem & ſentes pariat.l. ſi Mora. ff.ſolut.matr.l.38.de vſur.& hoc Mora efficit.

37 Hinc admonemur, vt alium effectum Moræ ſubdamus, quoad rei interitum à fruſtratore debitæ vel poſſeſſæ, vt non liberetur interitu rei poſt Moram commiſſam, qui ante Moram liberaretur perempta re in ſpecie conſiſtente. l. ſi ex legati,ff.de verbor.obligat.l.quod te.ff.ſi cert.pet.Sanè quod vulgò dicitur perempta caſu ſpecie liberari debitorem, non puto locum habere,ſi non tam liberationem petat,quàm optet,data ſpecie,præmium:vt ſi rex ſpōdeat militiam aliquam ei, qui equum certum dederit,probo:quia ſpeciale eſt in libertate,vt ſeruus eam conſequatur, cui teſtator reliquit ſub conditione ſcilicet,ſi certam ſpeciem hæredi dediſſet in l.fi. C.de condit. inſer.Vbi non tãtus eſt hic fauor tamen, quin ſeruus pretium ſpeciei amiſſæ præſtet,amiſſæ inquã, caſu ingruente dum ipſe ſtudet implere conditionem non alio caſu fortuito.præmium enim optans aliud pro alio impudenter offert.Non ſtat per eũ quominus det,fateor,ſed nec per hæredẽ quominus accipiat. Sed Moram tempeſtiua interpellatione commiſſam eſſe oportet,vt ad inſtitutum redeam ſpeciei à Mora.perditæ, non præproperè.l.cùm filiusfamil.§.fi.de verb.oblig.vel diei appoſitę lapſu.l.4.ff.qui ſatiſd.cogant.vbi agitur nō de eo qui ſpeciem, id eſt,hominem dare debebat,ſed eum in iudicio ſiſtere certa die:& eo mortuo liberatur ante Moram à facto ſiſtendi. quoniam,inquiunt Priſci, mortuum dare, vel ſiſtere impoſſibile eſt:& ratio impoſſibilis præſtationis obligationem deſtruit. l. impoſſibilis.ff.de verbor. oblig. ſed hæc ratio rationis expers eſt:quia æſtimationem ſpeciei poſt Moram peremptæ, vel ſimilem ſpeciem,dare licet & ſtipulari.l.inter.§.pe.eod.l.ſi quis domum.ff.locat.l.qui autẽ.§.1.de conſti.pecun. Quare ſatiùs eſt dicere,non amplius obligari ſpeciei debitorem ea peremptа ante Moram:quia nec creditor aliud pro alio accipere co-

gitur.l.2.§.1.ff.de rebus credit.nec debitor ſoluere.§. huic autem.de actionib.Accedit quod debet imputari creditori, cur non citò petat ſpeciem,quam incurioſè habiturus ſit plus ſolito debitor,conniuente lege.l.5.§.ſed ſi eligat.de condi.cauſa dat.ff.Item quod res perit periculo domini, nec tantùm eius qui iam eſt dominus.l.pignus.C.de pignor.act. ſed etiam eius qui deſtinatus erat, vt dominus fieret rei certæ datione, vel traditione.l.rem in bonis.ff.de acq.rer.dom. Quid aliud euenit,quęſo,cùm margaritas rogatu tuo tibi do, vt eaſdem mihi referas vel pretium: tunc quidem dominium penes me remanet,at penes te periculũ.l.ſi gratuitam.§.1.de præſcr. verb. addo venditorem qui nondũ tradidit cedere emptori rei vendicationem tanquam deſignato domino.§.cùm autem.de empti.& vendit.Et fore dominum emptorem de induſtria addo, cuius periculo incumbit res vendita illico poſt conſenſum. l. neceſſario.ff.de pericul.rei vendit.nemo enim dubitat rei vẽditæ,ita eſſe emptoris dominium, vt caueri cõtrarium pactione nequeat.l.cùm manu.§.fi.ff.de contrah empt. atque vt venditor ſtipulari poſſit ante traditionem, vt fundus quem vendit alij ſuo fundo ſeruiat,licet aliàs res ſua nulli ſeruire poſſit. l.quicquid.ff.commun.prædi accedit, quod poſt conſenſum venditor iure quodam pignoris rem detinet.donec pretium percipiat.l.Iulianus.§.offerri.ff.de act.empt. atqui rei ſuæ pignus nullum recipitur.l.ſi rem.2.ff.de pig.action. Proinde in l.pignus.C.de pign.acti.dicitur. pignus permanere, id eſt, penitus eſſe in bonis debitoris & perpetuò,quod non eſt in venditore.

38 Cæterùm poſt moram ſpeciei periculum tranſit in moræ autorem,quaſi ſine illa creditori res profeciſſet. vnde æſtimationem ſoluit debitor deſes,& ſiquid interfuit creditoris. l. ſi ſeruum.§.fi.de verbor.oblig.l.1.de acti. empt. nec ſimilis ſpeeies dari ſolet:licet ſecus in eo qui fideiuſſorem dare promiſit: quia non ipſum transfert iure dominij,ſed ſolùm cauet vt res in tuto ſit l.qui autem.§.1.de conſtit. pecun. quamobrem magis ad faciendum quàm dandum ibidem inita fuit promiſſio. ſimiliter quoque poſt Moram creditoris,cui opportunæ quan-

titas oblata fuit, si pecunia perierit apud debitorem, perit creditori. l. qui decem. de solution. ff. licet nullus casus fortuitus alioquin liberet quantitatis vel generis debitorem. l. incendium. C. si cert. petat. sed pecunia semel oblata creditori, mox inclusa certo loco, redacta fuit ad speciem perituram creditori. l. si certos. ff. de verbor. oblig.

39 Mirabilis est hic moræ effectus, qui debitorem speciei etiamnum re interempta obnoxium facit, eo quod pro viua censetur à morte. l. quod si nolit. §. si mancipium. ff. de ædil. edict. et mora creditori rem magis afficit, vt penè domino. l. legis. ad leg. aquil. cùm tamen dolus insignis idem non efficiat, quis hominem, quem promisit, manumisit: ante Moram vllam si homo interciderit, liberatur. l. is qui. ff. de actionib l. venditor ex. §. 1. de hæredit. vendit. nam dolus ille non videtur causam mortis præstitisse damníve creditori illati, vt culpa dilationis. aliter nemò nescit dolum peiorem esse negligentia. l. si mora. ff. solut. matr. peius namque est committere quàm omittere, licet vtrumque plectatur. l. si seruum. ff. de verbor. oblig. Nec obest, quod secus est in eo qui rem depositam vendidit, quæ qualitercunque mox pereat, eidem perit: nam furtum commisit. l. inficiando. ff. de furt. attrectauit namque rem, & interuertit sibi possessionem: fur autem semper in mora est, & in rei periculo. l. in re furtiua. ff. de condict. furt. & simplex fraus non perinde vindicatur ac verum & nominatum facinus. l. si multi. ff. de publican. quod si quis dicat videri crimen falsi, cum in duos res alienatur. l. qui duobus. ff. ad leg. cornel. de fals. fatebor hoc verum, si duobus vendat, pretium vicissim accepturus: nondum vni vendit, alteri verò promittit vltro, vt liberalitate vana demeret. l. ad res. ff. de ædil. edict. Ergo dolus simplex debitoris commissus ante moram impunè illi cedit, nisi ille dolus pereundi ansam præbuerit vt si seruum debitum occidat: quia plùsquam morosus est, & sibi materiam soluendi præripit. l. si seruum. ff. de verbor oblig. nisi in adulterio aut furto nocturno deprehensum occiderit. l. qui seruũ. ff eod. impunè enim fecit, qui etiam liberum lege permittente potuit occidere. l. grachus. C. de adult. nõ tamen lucrũ sperat.

rat.l.si ab hostibus.§.1.ff.solut.matri.planè si alius in inuidiam debitoris occiderit hominem debituw,vel alias species detriuerit, ac perdiderit,debitor tenetur.l.si merces.§.culpæ.ff. locat.si culpa sua debitor inimicitias cum perimente aluerit. l. pe.ff.solut.matr.vel si sciens aliquem sibi infensum & infestum fore speciem debitam non diligentius solito custodierit,vt illic Accursius refert.l.quòd si.ff. de peric.rei vendit. l. Mora.de verbor.oblig.hæc namque iura Accursio subueniũt.

40 Sunt qui putent in contractibus innominatis, & ideo obscuris, debitorem speciei à mora immunem non liberari perempta specie propter.l.fi.ff.de condict.caus.dat. vbi si pecuniam dedi,vt Stichum mihi dares,& mortuus sit Stichus,repetam pecuniam,quod mihi perquam durum est:nam vbi pecuniam dedi, Stichus mihi affectus est per actionẽ præscriptis verbis,sicut saltem in emptione & venditione, de qua paulo ante disserui,post nudum consensum.l.1.§.item emptio. ff. de rer.permut.ideóque in bonis meis est Stichus. d. l. rem in bonis.ff.de acq.rer.domini.Et proculdubio mihi perit naturaliter sine tua frustratione.l.5.§.1.ff.de præscript.verb.nec pœnitentiæ locus est aut condictioni datæ pecuniæ vel rei cuiuslibet.l.3.§.sed si Stichus.ff.de condict. caus.dat.nec dimoueor à tam expressis iurisprudentum responsis ob.l. fi. eod. tit. quoniam,vt in Dialogis aperui, Stichus promissus ob pecuniã erat iam mortuus tempore conuentionis,nec dari vnquam potuit,ideo repetitur pecunia.l.si duos.ff.de contr.empt.l,quòd si nulla de hæredit.vel acti.vend..

41 Ex his sequitur meritò asseri ex mora,quam irregularem invocant,debitorem de rei interitu non obligari, quoniam interpellatus non fuit ab homine sed tantùm à lege hortante, vt det id quod promisit,postquam accepit promissum ab aduersario:ecce in d.l.5.§.1. de præscriptis verbis fuit contractus,do vt des,id est,mera permutatio, sic enim à Paulo ibi vocatur,& rursus exemplo ostenditur scyphorum datorum, vt Stichus acciperetur,sic species pro certa itidem specie:vnde negotium fuit bonæfidei ex permutatione vicina emptioni. §.actionum.de actionib.l.fi.ff.de rer.permut.tamen si Stichus.

pereat ante interpellatum debitorem, perit creditori. si obstrepant, quia contractus innominatus sit, nihil proficient. quia nec condicere scyphos datos poterit is qui dedit d.l. 3. §. sed si stichus de condict.caus.dat.præterea constat venditorem non esse in Mora quoad interitum, antequam emptor. ipsum interpellet l.illud.ff.de pericul rei vendit.nec sequitur, venditor accepit pretium,ergo in Mora est,nisi quoad fructus rei venditæ,qui vice mutua spectant emptorem: sed non quoad periculum.Sæpè enim emptor patitur,imo optat, rem venditam à venditore ad tempus seruari,etiam vsque ad tædium. l. 1.§.licet.ff.eod.& in modici temporis Mora non est magnum detrimentum quoad fructus & interesse. l. si in lege. §. colonus.ff.locat.planè interitus rei repente subsequi posset contractum cum magno venditoris incommodo,ideo Demetrius Phalereus solebat appellare hominē στιγμὴν χρόνου. id est, punctum temporis.idem de domo & quauis specie inanima dici potest.l.fluminum.§.seruius.ff.de damno infec. in delictis verò putem in rem Moræ locum esse:itaque furem iugiter periculum rei subtractæ habere d.l.in re.ff. de condict. furt. nam & delicta suum autorem semper interpellant: vnde Titij iecur in inferis immortali pœna à vultere tonsum iactatur & plus quàm morator est qui delinquit.l.merito.ff.de vi armat.

42 Sed an sine distinctione verum habet, quod diximus interitum speciei pertinere ad debitorem morantem?nam multi excipiunt, si eodem modo res apud creditorem peritura fuisset, vt tunc debitor liberetur,nisi delicti conscius plusquā Moram admiserit.d.l.merito.nam quandiu fur vel raptor nō offert domino speciem abreptam,periculi sui eam facit.l.subtracto.C.de furt.& hæc locum habent vbicunque crimen existit nominatum furti simplicis vel improbioris,id est, rapinæ speciem inuito auferentis,non in simplici dolo minus vindicando.l.si multi.ff.de publican.vt liquet in l.si vehenda. ff. ad legem rhod.vbi nauem conduxit mercator,qua merces suæ traiicerentur in portum: & nauta dolo malo, nempè sciens mercatore nolente,in deteriorem nauem transtulit, quæ periit,nec cōtinuò obligatur,si modò vtraque nauis obruta fue-

rit sine dolo, videlicet nouo nautarũ circa naufragium, licet à principio dolus in mutanda naue non defuerit. Et quemadmodum in solo doloso distinguimus, sic etiam in compellente, qui coegit aduersarium promittere animal vel aliam speciem, extorsitque coactam voluntatem, sed aliquam tamen, vnde Vlpianus in l. si cum except. §. qui vim. ff. de eo quod met. caus. qui vim intulit, inquit, cùm à me possessionem sit consecutus, fur non est: quamuis qui vi rapuit fur improbior esse videatur, vt Iuliano placet, & in §. quatenus. idem Vlpianus: quod si homo sine dolo malo & culpa eius qui vim intulit, & condemnatus est, periit: in hoc casu à rei condemnatione ideo relaxabitur (si intra tempora iudicatæ actionis moriatur) quia tripli pœna propter facinus satisfacere cogitur. certè hæc ratio tripli vltrà rem qua de agitur in vi bonorum raptorum iudicio versatur. §. 1. de vi bon. raptor. attamen rei interitu raptor, qui semel dolum & violentiam initio commisit nullo modo liberatur. l. 1. §. rectissime, & d. l. merito. de vi armat. sed aliud est vi auferre, aliud cogere ad promittendum, atque voluntatem extorquere & seruiendum est naturæ actionis. l. sed & partus. §. fi. de eo quòd met. & l. si mulier. §. pe. eod. vbi velle creditur coactè adiens hæreditatem, nisi restituatur. proinde hoc casu re perempta reus eximitur ab eius pretio, nisi actor probet non fore perituram, si penes se extitisset: quia pro certo vendidisset, vt idem Iurisconsultus explicat in d. §. quatenus in fi. & subdit idẽ seruari prorsus quòd in interdicto vnde vi, in proposito scilicet cùm post metum adhibitum apud cogentem res periit non aliâs peritura: ex quo patet manifesta differentia violentiæ, quam ablatiuam vocant, & compulsiuæ: quoniam in priore sine vlla exceptione res violenti damno intercidit, adeo crimen elegans & insigne est supra furtum, de quo dixi prolixiùs, eo quòd doctores cimmeriis tenebris obscuriora huc attulerũt. Quinimò quoad pœnam in corpus pertinet, leuiùs ille plectitur qui rem perituram deprædatur flagitiosè. l. pedius. §. 1. de incendi. ruin. ff. secus circa rei pretium: non dissimulo tamen in crimine grauiore quàm sit furtum & famosiore interitum speciei libera-

re debitore, nimirum in falso si quis duobus rem vendiderit eandem. l. qui duobus. de falsis: tamen in Mora ideo non constituitur, quòd falsi reus est, & specie ante interpellationem interēpta à periculo eximitur. l. venditor ex. §. nam si de hæredi. vel actio. vend. ff. vnde putem hic ab altero non ab vtroque pretium accepisse dolosum venditorem, secus in d. l. qui duobus vbi scelus grauius & verè falsi, non simplicis stellionatus, de quo in l. 3. verb. maximè. ff. de crim. stellion. Quòd si post Moram delicti exortem species periit, debitori omninò perit, vt receptior opinio continet & abundè probatur in d. l. si cum exceptione. §. quatenus. si propiùs inspiciatur limis oculis nam ibi ideo impellens vi non tenetur, nisi cum distinctione illa, vtrum sic res peritura apud dominum foret, quia triplum luit: igitur in aliis negotiis vbi triplum non rependitur, morator sine delectu obligatur periculo, propter rationem quam subiicit idem Vlpianus in l. cum res §. fi. ff. de legat. 1. potuit enim creditor vel dominus rem vendere antequam interiisset. Taceo quod aiunt furem etiam indistinctè teneri, vt iam ostendi, & moratorē furi comparari. l. inter. §. pe. ff. de verbor. obligat. scio nāque furto cuiuis Morā illico inesse. l. in re. ff. de cōdic. furt. tamē nō è diuerso, quia Mora simplex furto leuior est, etiā si dolum non restituentis hæc habeat. l. inficiādo. ff. de furt. magis iuuerit. d. l. inter. §. pe. quod hominem mihi debitum & post Moram debitoris mortuum promittere alij possum. nam perinde mihi præstitum iri cōfido, ac si viueret saltem æstimatione. l. nemo. §. 1. & l. si ex legati. eod. tit. iuncta. l. si seruum. §. fi. Iuuat quod quemadmodum post Moram debitoris creditor pręsumitur distracturus speciem, quę periit, nec in dubium vertitur an distracturus fuerit an nō, ita post suam ipsius Moram debitori non est fas causari se distracturum seruum quem manumittere promiserat, cùm similiter vtrobique teneatur de morte obueniente in serui personam. l. si pecuniā. §. sed si acceperit. §. sed si vbi. ff. de condict. caus. dat. quo in loco ante Moram distinctioni locus est, postea verò non. præterquam quod ibi agitur de promissore facti, id est, manumissionis serui, non autem dandi seruū: vnde minùs obstringit obli-

gatio.l.stipulationes non.ff.de verbor.oblig.l.vbi.§.fi.ff.eod.

43 Violari videbitur hæc opinio per vulgatam. l. item si.§. fi.ff.de rei vendic.Vlpianus ibi respondit: si seruus petitus vel aliud animal demortuum sit sine dolo malo & culpa possessoris,pretium non esse præstandum plerísque placuisse: Sed est verius,inquit,si fortè distracturus erat petitor, si accepisset, Moram passo debere præstari. nam si restituisset possessor, petitor distraxisset,& pretium lucratus esset. hinc vulgò aiũt in rei vendicatione locum illi esse distinctioni, vtrum actori res perinde periisset atque periit apud reum. quod non ab re doctis displicuit,quippè qui non ignorant magis fauendum agenti in rem quam in personam,& suam rem petenti quàm suam fieri cupienti, pudet adhoc testimonia iurisprudentum adducere,maximè.l.de eo.§. si post. ff. ad exhib. vbi vel cæco innotescit sine delectu possessorem teneri in præuia rei vẽdicationis actione ad exhibendum. & multomagis teneri cùm petitor esset distracturus pro certo.sed non piget adducere. d. l.cùm res.§.fi.de legat.1.vbi hæres frustrator de casu & vi maiore tenetur citra distinctionem, tamen legatario licuit pro animali relicto contra hæredem in rem agere vt in personam. l.huiusmodi.§.fi.ff.eod.l.1.C.communi.de legat. nec quisquã dixerit in rem experienti deteriùs contingere, quid enim potest esse nobilius domino,aut quid antiquius? primò namque cœpêre rerum dominia diuidi iure gẽtium occupatione: deinde emersere contractus, vnde personales actiones oriuntur.l. ex hoc.ff.de iustit.& iur.§.2.de actionib.accedit,l. Iulianus. 1. de rei vendic.vbi si Moram fecerit in homine reddendo possessor,& homo mortuus sit, etiam fructuum rationem vsque ad rei iudicatæ tempus spectandam venire placet Iuliano sine discrimine.nec quia vsque ad rei iudicatæ tempus cẽsuit,ideò sequens tempus excludetur,vt ibi docet Accurs. quod obiter refero,vt ostendam id quod dictum est in d.l.item si. §.fi.eod. si fortè distracturus erat petitor animal post Moram possessoris demortuum, pretium præstari oportere, non excludere casum,quo petitor distracturus non sit, sed exemplum poni vehementis absurditatis: licet idem statuendum veniat quam-

uis distracturus non fuerit.& sic causa subiicitur,qua cessante nihilominus viget legis præstitutio.l. si pignus. ff. de pignor. act. vbi Accursius cogitur supplere particulā, maximè: l. fundi.ff.quib.mod.vsusfr.amitt.adde quod facilè petitor asseret se distracturum,nec aduersarius ita facilè probaturus est negationem.l.actor.C.de probationib.nam & M. Cato in libro de re Rustica cap.2.Patremfamilias vendacē non emacem esse decere commonet.necnon iura contra morosum malè perpetuò suspicantur pro petitore,vt vel cæcis patet ex d.l.cùm res. §.fi.ff.de legat.1.vbi de hac ipsa re statuitur: nempè vt qui potuerit vendere,præsumatur vēditurus in odium socordis possessoris.Nec dimoueor ab hac sententia per.l.si is qui.ff.de iure dot.vbi distinguitur , an seruus doti dictus à muliere , cui eum Titius debebat, post Moram mariti esset perinde moriturus.quoniam vt animaduertit Accursius,maritus fuit in Mora petendi seruum debitū vxori,non in Mora soluendi. Addo ibi seruum vænum iri non posse verisimiliter obstante lege Iulia de re dotali licet mobili.gloss.l.1.§.pe.C.de re vxor.acti. Restat vt respondeamus.l.si plures. §. fi. ff. deposit. Vbi si res deposita periit natura sua ante rem iudicatam, absoluitur is, cum quo actum fuerit: quia æquum sit naturalem interitum ad actorem pertinere: vtique cùm interitura sit ea res, etsi restituta esset actori,sequor hîc cōsiderationem Accursij putantis iustam causam litigandi fuisse defensori. bona verba, inquiet aliquis,ergo in Mora non est, si iustè litigat. l. si quis solutioni.ff.de vsu.hoc herculè,est quod volo in d.§.fi. de Mora non quæri , nec increpari illum, aut periculum speciei petitæ præstare, qui iustum prætextum litis habuit. l. illud. de petit. hæred.secus si in re liquida maluisset litigare quàm restituere. l.nemo.§.1.ff.de verb.oblig. Sanè in deposito plerunque hoc accidit,vt illemet quo cum agitur,depositarius,vel ipsius hæres licitam litigandi causā præ se ferat.l.si quis inficiatus.l.bona fides.ff.deposit.vel iustam retinendi adhuc,quæ multiplex inuenitur.l.1.§.est autem. eod. nec diuino fuisse , cur iustè liti se accingeret defensot in d.l.si plures.§. fi. quoniam alioquin proculdubio non disquireret Celsus,an de periculo rei depo-

sitæ reus teneretur, si Mora interfuisset. Maximè cùm in l. si in Asia §. fi. eod. constet depositarium post litem protinus de periculo teneri, sicut hæredem ex testamento conuentum, sine distinctione penit⁹. d.l cùm res § fi. ff. de legat. 2. vbi post Moram creditor rem peremptam, vel æstimationem certè, iure petit, quia præsumitur fuisse venditurus, si tempestiuè habuisset. Ita ante Moram è diuerso, si modo res pereat naturaliter, id est, sine culpa possessoris iustè litigantis quamuis re vtentis solito more l. vtique. §. fi. ff. de rei vendicat: l. si vt certo. §. Planè. ff. commodat. præsumitur eadem res eodem modo peritura, siquidem actori reddita fuisset, & hoc volút illa verba: vtique cùm interitura sit ea res etsi restituta esset actori, id est, ius pro certo præsumit in fauorem iusti defensoris rem petitam ante sententiam similiter perituram apud petitorem, sic particulam, cum, vulgò expones pro, viso quod, l. si is qui. §. 1. de pignorib. & ne quis putet nouum, vt simpliciter loquẽs Iurisconsultus ad iustam litem referatur, videat. l. vtique. ff. de rei vendic. non enim, inquit Paulus, post litem contestatam vtique & factum præstare possessor debet, id est, si tamen iusta litis colore fultus fuerit. §. fi. ead. leg. potissimum in deposito, in quo mira fides custodis desideratur l. i, ff. depos. ita vt deposito vtens fur sit. l. qui furtum. ff. de condict. furt. quanto magis si ita sibi vtatur, vt rem abnumet sibi audacter, nam qui electus est vt vir probus & amicus, mox velut inimicus abneget sine iustissima ratione.

44 Non deseram disceptationem illam memoratu dignam, an specie debita ante Moram interempta liberetur debitor pariter à quantitate, quæ speciei contemplatione æqualiter debetur. hæc dico, quoniam si iam perempta specie quantitatem stipuler exigendam, eo quòd Mora facta species interiit, profectò quantitas præstabitur. l. inter. §. pe. ff. de verbor. obligati. atque ita non simul & species & quãtitas in obligatione sunt, sed hæc sola speciei loco. Idem secundò dicam, si speciem certam, puta, Stichum mihi promiseris aut eius pretium: non enim vtrumque debetur æqualiter sed alterutrum disiunctiuè. ideò stipulatori debes Stichi pretium, si Stichus decesserit. l.

cùm res.§.sed si Stichus.ff.de legat.1. l.plerunque.§.fi. de iure dot.Tertiò idem iuris est, si quantitas tanquam pœna non solutæ speciei adiiciatur, vt si Stichum intra Calendas primas non dederis, promittis centum. l.8. ff. de verbor. obligat. aliud iuris est si non dari sed sisti promitteretur.l.2. ff. si quis cautionib. & l.4. §. illud. eod.quia multum interest dare, an facere aliquis teneatur. l. si decesserit. ff. qui satisd. cog. sed etsi dare promittat mortuum tempore stipulationis sub pœna, nihil obstringitur.l. si homo.ff.de verb.oblig.aliter penitus si pœna, sit impossibilis, sed resprincipalis in promptu.l.97.eod. vt promittis te sisti, aut Phœnicem dare. Cùm autem æqualiter quantitas debita est speciei respectu, aiũt Doctores pereunte specie nihil deberi quantitatis: vt si lego Pamphilum seruũ Seio & eundem Titio, non adimendi animo, nec re tantũ coniungendi, sed multiplicandi, quo casu alteri legatario Pamphilus, alteri verò pretium eius debetur.l.si pluribus. ff. de legat. 1.itaque si Pamphilus decesserit, nec ipse, nec eius debetur æstimatio.idem si iam vni solutus sit, móxque decedat ante hæredis Moram.l.Titiæ.§.fi.ff de legat.1.& sic hæredis lucrò.seruus moritur.l.filiusfamiliàs.§.fi.eod.Addunt.l.quidam.§.si tibi.ff.eod.tit.vbi tibi seruũ legaui, & iniunxi vt Titio aliquid præstares vsque ad pretium serui: si seruus decesserit, nihil. debes: sed hoc regitur alia ratione: quod vtique cùm exemplar deficit, vnà quoque exemplo non est locus.l.in testamento. ff. de condict.& demonstr.tum alia quæ habet, neminem plus teneri restituere quàm acceperit.d.l.filiusfam.§.1.eod.& seruus decesserat priusquàm tibi traderetur: non autem in d.l. Titiæ. §.fi.vbi alteri legatariorum traditus ab hærede fuit.qui speciẽ & quantitatem dare tenebatur. Adducunt præterea. l.in nauc. in fi.ff.locat.vbi si mercatores dederunt nautæ frumentum aliquò vehendum certa mensura, ita vt nauta tantundem reddendo liberetur: si postea frumentum casu perierit, nihil nautà debebit.non miror: neque enim quantitas respectu speciei debita fuit, vel de toto genere frumenti aliqui modij æqualiter eodem tempore, vt nos disquirimus, sed loco frumenti naufragi & pereuntis aliud, solui posse & substitui placuerat

in loca-

in locatione, si quidem nauis ad portum venisset. sed nec oberit. l. fi. C. de conditi. insert. vbi seruus alium seruum dare iussus, si liber esse velit, seruo quem dare properabat mortuo, cõsequitur quidem libertatem, sed pretium serui dandi præstat hæredi. nam ibi quantitas ex verbis testatoris non fuit relicta respectu speciei, sed, vt suprà tetigi, sola species relicta, quæ periit casu singulariter fortuitò, dum statu liber festinaret ad hæredem expleturus cõditionem: quare fauore libertatis speciei subrogatur quantitas nunquam antè debita ex testamento, & sic fauetur libertati, sine hæredis damno. In eo contra hæredem durius statuitur, quod posterior Mora non nocet statu libero, si semel hæres oblatum repudiet: secus alibi etiam in dote. l. semel. solut. matr. sed libertatis fauor superat nuptias. l. Titio vsusfr. §. fi. de condit. & demonstr. Ergo transeamus ad aliud responsum Iurisconsulti cum interpretum opinione: faciens. l. electio. §. 1. ff. de noxalib. action. Si is quem dolo desieris possidere, inquit, decesserit priusquam hac actione cõuenireris, liberaris: quia hæc actio in locum directè succedit. Diuersum dicemus, si Moram feceris in iudicio accipiẽdo. hîc respectu serui debebatur quantitas damni ab eo dati. nec dedendo seruum pro noxa liberari poterat dominus quia dolo ipsum desierat possidere: & in hoc dolus ipsius punitur, sicut punitur Mora iudicij accipiendi, quam fecit dominus in ius vocatus, vt post eam de perempta specie teneatur & de damni æstimatione. qui in nihilum teneretur, si periisset seruus ante litem contestatam nulla Mora domini interueniente. l. si plurium. §. fi. eod. vnde patet liquidò verum esse quod à magistris vulgò dicitur, liberari debitorem quantitatis respectu speciei, si perierit species, licet dolus intercesserit debitoris, qui tamen pereundi ansam non præbuerit, ante Moram. Tantùm optarem vt diluerent illud Iuliani in l. si hæres. ff. eod. si hæres, inquit, dolo malo fecerit ne statuliberum in potestate haberet, & propter hoc iudicium si noxæ deditione acceperit, impleta conditione statutę libertatis condemnari debet, sicuti mortuo seruo condemnaretur. ad hunc scopulum impacta nauis, quæ

fert vulgarem ſententiam Doctorum illidetur, niſi ego iuuero, oſtendens Iulianum non aſſeruiſſe hæredẽ, qui dolo deſiit poſſidere ſeruum nocentem, & à quo damnum reſarciri petebatur interim dum pendebat conditio ſtatutæ libertatis, pro certo condemnandum, ſi conditio fauorabilis ſeruo contigerit: magis enim & apertiùs dixit Iulianus hæredem dolo poſſidere deſinentem, condemnandum ad exemplum mortis ſeruo contingentis: ſicuti, inquit, mortuo ſeruo condemnaretur. atqui eo mortuo diſtinguimus, vtrum hæres Moram fecerit iudicij accipiendi, an non d.l.electio.§.1.igitur accidẽte libertate quæ ſimilis morti eſt, idem diſtinguemus.l.ſi mihi. de ſolutionib.ſi enim moneo, vt iugiter ſtudeas ſicuti docti aſſueſcunt: non ideò te otio mediocri indulgere prohibeo, ſed ad exemplum docti cuiúſque hominis te confero. Ex quo perſuademur magis, ac magis aſſentiri Veteribus debitorem quãtitatis liberantibus perempta ſpecie, cuius æmula fuerat.l.1.§. fi.ff.ſi plus quàm per leg.Falcid.quamquam hic legatarius qui promiſit hæredi reddere quantum plus iuſto acceperit, emergente poſtmodùm falcidia, non ſimul ad ſpeciem & quantitatem obſtringatur, ſed ad alterutrum.

45 Opitulemur ergo bonis viris autoritate Pauli. l.venditor ex.verſic.nam ſi.ff.de hæredit.vel act.vendit. Vbi eandem rem duobus vendidi inſolidum dolo, & ab altero pretium accepi, à quo reddendo liberor propter rem pereuntem antequam Moram committerem in tradendo. Auxiliatur ſimiliter nobile reſponſum, Papiniano dignum prorſus in l. alteri. de adim.legat. Vbi teſtator alteri hæredum prædium prælegauerat, alteri autem actiones exigendæ pecuniæ, qua ſimile prædium coëmeretur: deinde priori hæredi prędium ademit: quare nec huic pecuniæ quantitas imitatrix ſpeciei debebitur, niſi noua ratio ſuaderet illi potiùs quàm huic poſteriori ademptum videri offenſione forſitã teſtatoris. Non ſinit quieſcere nos.l.fi.ff. ad legem Rhod. de iact.vbi merces in pecunia debetur pro ſpecie perempta: cùm nauta vehendos ſeruos accepiſſet, & horum aliquis interiit. Sed hoc ita, quia viuus erat

impoſitus naui,& pro impoſitis facta fuit locatio. Nunc ita confirmati minùs horremus. l. vir vxori. ff. de dot. prælegat. vbi cùm mulier dotem in mancipiis non æſtimatis haberet maritus eidem pecuniam pro dote legauit mox viuo viro mancipiis mortuis placuit pecuniam mulieri deberi. quid tum?nunquam enim ſimul dos & pecunia debita fuêre, ſed loco dotis,ſubrogata fuit pecunia, quodquidem vel mortuis iam mancipiis fieri potuit à teſtatore.l cùm ſcriptum. ff. eod. ſed in d.l.vir.tempore teſtamenti valebant mancipia. Nam Iuriſconſultus vtitur verbo, habebat, non, habuerat, & ſalubris eſt talis permutatio dotis mulieri,vt exitus declarauit interpres fidus.l.ita.l.fi.ff.de iure dot.l.4. ff. de impenſ. Iam arbitror opus non eſſe longiùs reſpondere obiectioni ex l. fundum.ff.de nouati.vbi ſpecies ex vna obligatione debebatur, & ex altera quantitas:ideò hæc ſeorſum ſuis viribus nixa non variatur ad ſpeciei ſimilitudinem, vt ſolent quidam flores quocunque cum ſole circumagi. & quantitas debita reſpectu ſpeciei ex vnica ſtipulatione non ex duplici puta promiſſoris ipſius atque fideiuſſoris.l. hominem. ff. mandat. l. Stichus.ff. commun.diuid.nec enim æquum eſt eum qui certam ſpeciem pro alio ſoluit, hac perempta non repetere, quod bona fide pro aliena obligatione impendit, vt ibi oſtenditur, & ratio dictat,ſi lex deficeret.

Obseruata in tertiam partem huius tractatus, in qua de purganda & euadenda Mora disputatur.

1 *Difficultas an excuset à Mora vbique in faciendis.*
2 *Quid si quis facto lucrum quærat, & difficultatem causetur.*
3 *Quid in debitore speciei dandæ, vel quantitatis, vel generis.*
4 *An solius diei lapsu Mora fiat, quid in lege commissoria.*
5 *Dies adiectus creditori quoque fauet, & quando vltra diem interpellari debitorem oporteat.*
6 *Conditio adueniens Moram non facit: quid si sit potestatiua.*
7 *Post diem præstitutam quomodo Mora purgetur.*
8 *Qui promittit facere, diem à lege accipit, & Moram purgat.*
9 *Qui incipit facere ante litem contestatam, non ideo purgat.*
10 *Interesse actoris impedit Moram purgari.*
11 *Quid si diu post lis contestetur Mora commissa: quid de eo qui ex faciendo præmium vult.*
12 *Si creditoris interest iam, is qui dare debet, Moram non purgat.*
13 *Lis contestata cur purgationem Moræ impedit.*
14 *Quid est quod vulgò dici solet omnia iudicia esse absolutoria.*
15 *Qui promittit iudicatum solui, vel defendere pro alio, non impedit eius Moræ purgationem lite suscepta.*
16 *Qui deliquit post acceptum iudicium, num pœnitentia purget illud.*
17 *Dies & pœna simul Moram excusari non sinunt, & quare.*
18 *Emphyteuta vulgaris non purgat Moram post triennium, secus in ecclesiastico obtinuit.*
19 *Quare in l. traiectitiæ. ff. de actionibus, Mora non purgetur.*
20 *Ab arbitro ex compromisso condemnatus an Moram purget.*
21 *Mitiùs agitur cum lege quàm cum homine, interdum duriùs.*
22 *In præparatoriis iudicij dies & pœna non vetant purgari Moram: quid in legatis.*
23 *Quòd Iustinianus in l. magnam. modum Moræ purgandæ ve-*

rius induxerit, quàm sustulerit.

24 *Oblitio iure allegata iuuat Moræ purgatorem.*

TERTIA PARS TRACTATUS MORÆ.

DE MORA PURGANDA SEU excusanda.

SI Hercules gloriam nactus est apud antiquos, quia in Arcadia aprum regioni infestum & damnosum domuerit, & aliquot tales feras hominibus exitiales confecerit, cur non ego iure laudem Doctores priscos, qui varios modos Moram domandi & euadendi tradidere, qua nihil deterius? vtpotè quæ tot malorum parens à nobis pauloantè descripta fuerit priusquam tamen Moram extingui purgarique ostendamus.

1 Dicemus quomodo allegata dandi soluendíque difficultate reus euadat Moram, & placet Bartolo difficultate excusari illum in faciendis: vt si Romam ire promisero, vel sisti in iudicio me iudex iusserit, vel nauigare Alexandriam conuentum sit, & tempestas præpediat l fi. §. pe. ff. ad leg. rhod. l. 2. §. si quis iudicio. ff. si quis cautionib. nec periurus est, qui aduersus promissa facit difficultate iubente cap. breui. de iureiur. quia concedit hoc difficultas, & periurij gratiam facit. l. fi. ff. qui satisd. cog. si modò difficultatem is qui eandem allegat, non affectauit. l. 2. §. fi. ff. si quis cautionib. aut nisi difficultatem alia via effugere possit, nempè itinere pedestri commodè vitans procellas maris. d. l. 2. §. pe. aut nisi temere se in difficultatem coniecerit. l. idem iuris. §. fi. ff. ad leg. aquil. idem est, si quis difficilem sibi rem certo sciens promittat. l. pe. ff. de iure dot. vl i talis culpa in dolum declinat, & sic contumacia non excusat. l. 1. §. si cum duobus de collati. aut si ementita sit difficultas, & vanus terror. l. 3. §. si quis autem. ff. de vi armat. Et lex prospicit ac distinguit, an extricari se potuerit, qui difficultatem causatur: nec excusat eum qui potuit. l. quemadmodum. §. item la-

beo.ff.ad legem aquil.planè difficultas à Mora liberans non continuò liberat ab obligatione faciendi per æquipollens.l. in testamēto.ff.de condit.& demonstr. vnde qui dare fideiussorem certum promisit,& sic cauere, atque ita omninò facere alium præstare æquè idoneum tenebitur. l. qui autem. §.1. ff. de constit. pecun. vt qui promisit centum modios tritici ex fundo Tusculano,nec eos collegit,expectat itaque quoad ibidem totidem nascantur,& soluit.l.inter.§.sacram. ff. de verb. oblig.idem si incertum dare obligetur, alio itinere firmabit aduersarium,is qui fideiussorem non inuenit.l.1.§. si frater. ff. de coll.bonor.nec comminiscor,vt quidam, ibi de lucro tractari,quòd frater successurus in bonis patris captat, vt propterea difficultate non penitus excusetur.non enim hoc lucri loco ponitur in successione penè debita.l.fi.§.pe. C. de codicill. satius fuisset dicere tale factum conferendi, dationem quandam esse & dominij translationem l.1.ff. pro socio l. si hæres. ff.de legat.1.vbi iussit testator facere vt lucius centum habeat, id est,ei iussit centum dari.

2 Sanè verò in præmiis & lucris assequendis verum est, quod audiui,difficultate non quæri remissionem:nec sic fauemus lucro inhiantibus vt damna moræ vitantibus.d. l. fi. C. de codicill.succurrit quod lucrum quærere & simul onus adiectum respuere absurdum est.l.vnic.§.pro secundo. de caduc. toll. C. alioquin nemo virtutem sequeretur,quam Deus in arduo & difficili loco collocauit, vt descripsit Hesiodus. nec difficillima conditio iter faciendi reiicitur à testamento, sed quæ impossibilis est.l.suus.§.puto.ff. de hæredib.instit.& hæc à testamento repelleretur incolumi,sed conuentiones vitiaret.l.mulier.ff.de condit.instit.l impossibilis ff.de verbor. obligat. si modò metiamur impossibile impedimento communi naturæ, non imbecillitate aliquorum hominum.l. continuus. §. illud. ff.eod.adducunt quoque alij.l.sciendum.ff.ex quib. caus. maior vbi non restituitur maior absens causa reip.ad lucra, sed hoc testimonio nihil proficiunt,cùm talis restitutio in lucris etiam prosit,modò ne cum damno alieno, vt ibi Iurisconsultus notat.l.Iulianus.§. fi.eod.

3 Subdunt veteres, debitorem speciei dandæ à Mora vindicari ingruente difficultate. l. cùm seruus. de legat. 1. cum fortè quis promiserit seruum in fuga existentem, alienum, sine culpa sua, vel legatum à testatore dare tenetur, & de ea re cauet, & diligenter inquirit, vt reducatur fugitiuus, expers Moræ est vtique. l. cùm res. §. sed et si alienus. ff. eod proinde nō eximitur ab obligatione, non magis quàm is qui superiùs aliquid factu difficile promiserat, sed soluit æstimationem iustam, vt ibi dicitur, & l. non dubium. §. fi. de legat. 3. sed num poterit offerre similem, vt locator qui bona fide tradidit alienam domum conductori quæ mox euicta est. l. si quis domum. ff. locat. non inuenio idem seruari, vbi agitur de dominio rei trāsferendo: quo casu sola æstimatione subrogata consulitur creditori: secus si dominium transferri non debuit vt iam demōstraui ex l. qui autem. §. 1. ff. de constit. pecun. Si quæratur de debitore quantitatis, aiunt non liberari difficultate præstandi pecuniam, quam non ex vno tantùm corpore depromere potest, sed etiam ex toto genere pecuniæ. vnde speciei debitor hac perempta liberatur ante Moram. d. l. si ex legati. ff. de verbor. oblig. non debitor quantitatis. l. incendium si cert. pet. inde fit pariter, vt venditor speciei minus quàm emptor obligetur. l. ex empto. ff. de acti. empt. additur id probari in l. continuus. §. illud. ff. de verbor. obligat. vbi qui neque domi pecuniam habet, neque inuenit creditorem, vt scilicet versura facta alium creditorem acerbiorem pacare queat, non eripitur à vinculo obligationis tali difficultate, cui impedimentum naturale non concurrit, sed profectò verum est, quod docti non omisere, ibi, nihil de Mora ob difficultatem suspensa vel admissa contineri, sed potiùs de ortu totius obligationis, quam quidem impossibili causa perire didicimus, non autem difficultate atque inopia, quis enim obligationem actionem paupertate debitoris vnquam obliterauit. l. fi. §. fi. ff. quæ in fraud. credit. fateor inanem esse effectu actionem contra inopem. l. nam is. ff. de dolo, sed tamen in deliciis habet creditor vexare decoctorem forensi molestia non minima, vltra spem futuræ facultatis. l. 5. §. si is cui. ff. de oper. noui nunciat. l. qui bonis. ff.

de ce T. bonor an non hoc satis declarat Venuleius in d. §. illud in fi. cùm in debitore loquitur, qui alienum seruum, quem dominus nolit vendere, dare promisit, & frustra difficultatem causatur? nempè quoad hoc, ne obligetur, namque nihilò magis liberatur, & pretium ipsius iustum præstabit. d. l. non dubium. §. fi. ff. de legat. 3 quoniam de ortu obligationis tractatur certè à Mora excusabitur talis speciei promi..or difficultate emergente l cum seruus. ff. de legat. 2. vnde patet in d. §. illud nihil minus quàm de Mora inquiri propter difficultatem eluenda Quinimò adhuc audacter insurget aliquis, vt ampliùs dicat ab obligatione quemquam liberari ob paupertatem, & vtique valida ex sententia iudicis publicum iudicium alibi exequentis, id est, dicentis multam, & parti vel fisco addicentis. l. 2. §. fi. de iudic. l. lege. §. fi. ff. ad syllani. & ita paupertati fauetur. l. si. C. de modò multar. licet descendat ex delictis, vt assolet multæ inflictio, ergo duriùs exigenda, & cessionis bonorum expers. l. 4. §. quanquam ff. quod cum eo Cæterùm hæc liberatio non fit ipso iure imò à iudice, qui quodammodo eā induxerat in inuitum, nos de obligatione consentientis quærimus & tantùm à Mora eripere ideò difficultatem putamus. Quinetiam in l. datio. §. si per vēditorem. ff. de actionib. empt. venditor vini in genere, quod quantitati à tota pecunia seligendæ confertur, in Mora censetur, si nulla difficultate impediatur præsertim, inquit, si omni tempore paratus fuit tradere, id est, si in promptu habeat frumentum, & potestate magis quàm voluntate possit satisfacere igitur si difficultate distineatur, in Mora constitutus dici nequibit. Accedit. l. Thais §. 1. ff. de fidei commi. l. libert. vbi hæres iussus liberare ære alieno seruum non est in Mora, si pro rei suæ familiaris explicatione tardiùs numeret pecuniam creditoribus. nec proficit quod ait Bartolus, ibi de facto soluendi & liberandi tractari: quia cùm factum definit in dationem nihil est aliud quàm mera datio. l. si hæres. ff. de legat. 1. vt patet in emptore, qui dat pretium numeratione & facto, idem in promissore & similibus. l consilio. §. si de curat. furi. Ego vt quod existimo proferam, arbitror difficultate debitorem liberari à moræ no-a; ne-
quantita-

quantitatem protinus dare teneatur:cum Mora interpellatione aliqua fit,vel specialiter lege interpellante,vt in contractibus bonæ fidei.d.§.si per venditorem.l.datio.de action. empt. quia non omnis retardatio ad Moram pertinet, si culpa vacet. l.sciendum.ff.de vsur.nam excusatur debitor difficultate,ac si impossibile non præstet:sic Plinius lib.35.cap.10. ait Apellem pinxisse quæ pingi non possunt,vt fulgura tonitrua,ac Cyclopes: nam certum est ea quæ perdifficilia sunt impossibilibus æquari.l.cùm in plures.§.vestimenta.ff.locat.l.cum sanè. ff. de iis qui deiec.ergo,inquies, homo inops excusabitur à Mora perpetuò:quia difficultate perpetua impeditur?minimè, nam pertinax difficultas & diuturna cunctatio propè dolum est, cùm promiserit quæ præstari non posse exitus declarauit.l.pe. ff.de iure dot.l.cum post.§.1.de admin.tut. toleratur namque dilatio,quæ abest à præcipiti festinatione, non quæ moratoriæ cunctationi adest.l.tutor qui.§.1.ff.eod.ex quo fit,vt debitores difficultate impellente,ne iudicati detrahantur in carcerem, bonis cedant.l.1.C.qui bon.ceder.poss.quòd si ante sese tueãtur difficultate,à bono iudice tempus accipient mediocre, & intellectu magis quàm locutione exprimendum. l. ratum. ff. de solut.Sed & bonus iudex reum multatum certa quantitate, inopia detecta mox eundem liberat.l.illicitas.§.fi.ff.de offic.præsid.sed hic liberatur ab obligatione non qui cessit bonis si ditior euaserit.l.qui bonis.ff.de cession.bonor.non enim multam vltrò promiserat reus.Dum verò quid promisit, satis sit ei factum,dum à Mora culpáve excusetur,vt in insula Andro dictum est Themistocli apud Plutarchum pecunias imperanti,ac dicenti se duos deos habere vim & persuasionem: tũ Andrij,& nos,inquiunt,totidem, paupertatem & impossibilitatem, cui summam difficultatem exæquauimus.l.5. de acquir.rer.domin.maximè quam parit nigerrima mater inopia, l.si procuratorem.§.pe.ff.mandati.Si verò Mora committatur per diem certam præstitutam.l.si fundum.ff.de verbor.oblig. non putem difficultate eximi à Mora debitorem,qui vana spe illectus se forè tum soluendo credidit,& quodammodo somniauit vigil atque præcauere debuit.l.sed & si per. §. si feriæ.

ff.ex quib.cauſ.maior.excepto quod Moram poſt diei labſum purgare poterit.l. ſed & ſi alia.ff.de conſtit. pecun. ſedulo tamen.

4 Dicturi autem de Moræ purgatione priùs admonebimus, diem certam præfinitam conuentione ipſam Moram gignere, ad quod ſum ego aliquando auſus inſuper trahere. l. promiſſor.§.1.ff.eod.vbi qui ſe conſtituit ſoluturum ſine diei adiectione modicum tempus habet ſpacij decem dierum:alioquin abſurdum ſequeretur,vt quis ſine diei adiectione promittens illico conueniretur,cùm omnis obligatio præſens ſit.§.omnis de verbor.oblig.ſed talis promiſſio ſine die cenſetur.l.talis.ff. de legat.1.vnde ſequitur neceſſario,ſi dies exprimatur à contrahentibus,eadem Moram induci:niſi quis recte dicat in d.§. 1.non de Mora inducenda ſed de agendi facultate diſceptari, quod verius eſt, ne dicamus omnes promiſſores poſt decem dies à tempore conuentionis Morari.ſanè in dierum numero non ponimus,ſi quis ſe hodie ſoluturum promiſerit.l.liber.§. pe.ff.de verbor.oblig.nec ideo cras in Mora erit.Sed hoc amplius vltra iura ſuperius commemorata diei lapſu Moram cõſtitui oſtendit.l.vinum.ff.de reb.credit. vbi cùm de vini mutuo dati æſtimatione quæritur,perinde augetur hæc velut intereſſe,quod antea intrinſecum diximus ex Mora accedens, diei præſtitutione vt interpellatione ſolenni. Non omitto. l. pecuniæ.§.fi.de vſur.vbi cùm dies apponitur,& adeſt cui ſoluatur inculpata Mora non eſt nec inulta . Vnde etiam in legis commiſſoriæ pacto,vt res ſit inempta,ſi non certa die pretium perſoluatur non eſt neceſſe interpellari amplius emptorem, ſed erit ab emptione diſceſſum,ſi venditori placuerit.l.ſi fundus.§.fi ff.de lege commiſſ.l.poſt diem eod.non auſim ſilentio prætermittere Moram purgari ex æquo & bono. l. ſi ſeruum.§. ſequitur ff.de verbor.oblig.idque poſt diem,quo ſolui res debuit.d.l ſed & ſi alia.ff.de conſtit.pecun. ergo dies in Mora conſtituerat.l.ſi duo.§. fi.eod.neque enim Mora purgari potuit vel excuſari,quæ non præceſſit, vt apertiſſimè docetur in l.ſi ita quis.§.ſeia.ff.de verbor.obligat. denique ſi loci adiectio aſpera eſt aduerſus debitorem,& omne id quod actoris

intereſt alibi ſolui,ad ſe rapit.l.1.ff.de eo quod cert.loc. quare tempus non idem efficiet quamuis non tam acri iudicis arbitrio.l.quod ſi Epheſi.ff. eod. proinde verùm eſt quod paſſim iactatur diem interpellare pro homine.l.hominem.ff.mandat. imò pro multis interpellationibus eſſe,eo quod debitor meditari poteſt diem aduentare,& tacito greſſu feſtinare. At dicet aliquis,tempore non induci obligationem.l. obligationũ. §.placet de actionib.ſed idem non ibi dixit lex,cum de finienda obligatione non de ineunda inueſtiget: & cùm certum ſit adiecta tempori deſidia dominium auelli vſucapione: tametſi ſolum tempus per ſe parùm proficiat.§.1.de vſucapion. ſic ſupini debitoris cunctatio intra tempus rectè præſtitutum Moram arguit,& vſuras ac ſimilia.

5 Intorquent nonnulli.l.1.§.licet.ff.de pericul.rei vendit. vbi cùm vinum veniit,vt die certa metiendum foret, nondum licet id venditori effundere,priuſquam teſtato emptorem interpellarit vt vinum ſibi tollat.ſed ibi quia illicitum quiddam faciendum veniebat vini totius effuſione:vnde ibidem laudatur is qui vinum non effudit:non enim fas eſt victori nimium acerbè agere in aduerſarium.l.7.§.planè.ff.ad leg. aquil. cæterùm non quidlibet punit lex,quanuis tanquam indignum auerſetur.l.at ſi quis.§.idem labeo.ff.de religi.tamen quia ęgrè lex permittit illicitam effuſionem vini, ideo interpellari iubet emptorem alioquin diei lapſu admonitũ.Adhuc alij ſubdunt tempus adiici fauore debitoris non ſtipulatoris. l. eum qui calend.§.quoties de verbor.oblig.igitur in odium eiuſdẽ non poterit vergere vt morator dicatur. Fateor vltrò curſum temporis pro debitore intelligi,vt interim queat ſoluere creditori,& ita ei veriſimiliter prodeſſe,quaſi plus ſoluat. l. ſolidum.ff.de ſolut.ſed meta temporis omninò contra debitorem eſt.nec eadem eſt ratio agri & limitis agrum terminantis. l. id quod.§.ſi.ff.de pericul.rei vendit.minus oberit. l. traiectitiæ: ff.de actionib.vbi erat dies adiecta:quinimò & pœna, ſi ad diẽ pecunia non ſolueretur, tamen interpellatione debitor infeſtabatur.quid tum? non idcircò interpellabatur vt in Mora conſtitueretur,ſed vt Moræ per diei & pœnæ iam commiſſæ

adiectionem tanquam tarditatis fœturam lueret, quia ſimul atque debitor in Mora deprehenditur, rurſus interpellatur, vt damna creditorum reſarciat. non omitto quod nihil vetat interpellari eum, qui à tempore præfixo ſat admonetur, vt amplius arguatur culpæ & ſocordiæ: nec repetita Mora eiuſdem perſonæ Moram delere poteſt. l. qui romæ. §. cohæredes. ff. de verbor. oblig. At quod aiunt in d. l. 1. §. licet. ff. de pericul. rei vendit. diem fuiſſe præſtitutam, vt vinum admetiretur emptor, qui deſes interpellatur, vt veniat ad menſuram. nihil miror: neque enim pretij cauſa certabat venditor, vt vſuras tardius ſoluti acciperet, ſed aliud noui moliebatur, nempè vinũ effundere: & ad hanc licentiam noua interpellatione meritò opus fuit. l. de ætate. § ex cauſa de interrog. actionib. Sanè verò ad l. item quæritur. §. qui impleto. ff. locat. vbi luſtro finito conductionis renouatur conductio, dicam ibi non agi de tempore præſtito, vt vis obligationis & effectus eluceſcat, ſed vt extinguatur ſicut in l. emptorem. §. denique. ff. de act. empt. quod tamen contingit. l. ſi quis nec. §. fi. ff. ſi cert. pet. niſi tacitus conſenſus creditoris & debitoris acceſſerit in iis quæ conſenſu ineuntur. aliâs negari non poteſt, quin colonus furtum fructuum faciat inuito domino poſt quinquennium. d. §. fi.

6 Quid de conditione adueniente, an in Mora debitorem conſtituat? de hac re Paulus: quoties in diem vel ſub conditione oleum quis ſtipulatur, eius æſtimationem eo tempore ſpectari oportet, quo dies obligationis venit; tunc enim ab eo peti poteſt: alioquin rei captio erit. l. 59. de verbor. oblig. vbi Bartolus ſynceræ opinionis aſſertor, & Moram cõditionis aduentu minimè fieri ſcribens, ait interpellatione Moram ibi poſt aduentum conditionis contractam. ego autem nihil de Mora Paulum tradidiſſe ibidem ſuſpicor. hoc tantùm voluit, pretium rei promiſſæ tunc ſpectandum, cùm conditio euenerit: quia tunc peti poteſt. nec quoties petere licet, Mora ſubeſt: alioquin in omni obligatione pura illico Moram committeret debitor. §. omnis. de verbor. obligat. l. cedere. de verbor. ſignif. Iuriſconſultus itaque dat facultatem petendi, conditione ſortita exitum, & in Mora conſtituendi: non autem Moram

esse fatetur sic hæres è vestigio ab adita hæreditate à legatariis pulsatur actione in rem vel in personam,nec ideò in Mora statim constituitur per maiorem xxv.annis,vt antè docui. l.cùm res.ff.de legat.2.l.1.C.de vsur.& fructib.legat.quod ergo Paulus ait in d.l.quoties in diem.siue in diem, siue sub conditione,oleum quis stipuletur diem obligationis super æstimatione inspici,ad diem incertam conditioni parem pertinet.l. qui promisit.ff.de condict.indeb.l.si dies.ff. quando dies leg. ced. vel quamuis dies certa Moram faciat,de hac tamen nihil illic tractatur,sed de facultate petendi,& in Mora debitorem constituendi quam statim creditor habet.vt l.non omnis. ff.de rebus credit.nam,vt iam diximus, cùm dies certa præstituta est, præuideri & animo debitoris volutari abundè potuit, qui talem legem sibi dici passus est:at conditio dubia multùm est an veniat,& quando:quinetiam si pro certo ventura foret, vt in illa:si moriar,l.nam & si.ff.de condict.indeb.tamen non puto testatorem hæredi sua morte Moram relinquere, sed petendi facultatem creditori.l.vnic C.vt actiones ab hæredib. & contra hæred.quia quæ pro certo præuideri queunt in Mora constituunt non quæ sub incerto. l.sed etsi per. §. si feriæ. ff. ex quib.caus.maior.idem in culpa.l.si quis domum.§. fi. ff. locat. nec quicquam inopinatum magis est quàm mortis impressio senibus sæpè lentissimæ,& iuuenibus insidiosæ. licet neutros obliuiscatur.Addunt alij rationem quare conditio succedens nõ constituat in Mora:quia nimirùm alienum ab æquitate sit, eodem momento obligationem nasci & Moram. quid dicturi miseri,si viderent liberationem & obligationem simul oriri. l.in numerationib.ff.de solut.& fur ex delicto obligatur proculdubio,& eodem momento in Mora est.l.in re.ff.de cõdict. furt.item conductor Moram specialem contrahit,simul atque domum accipit à locatore,nec soluit mercedẽ.l. cùm quidam. §.ex locato.ff.de vsur.idem in emptore & vẽditore recipi notissimi iuris est.quia iniquum videatur emptorem re frui tradita,& pretium detinere. l. Iulianus. §.ex vendito. ff. de acti. empt.vnde putem in conditione potestatiua iniuncta legatario fundum accèpturo,si hæredi,verbi gratia, decem dedisset,

cōfestim in Mora poni hæredem, qui acceptis decem fundum dare cessasset,& fructus reddere sine vlla interpellatione: vel si decem oblata accipere recusaret.l.3.§.Stichus ff.de statu lib. vtrique enim pariter prouidetur æquo iure.nec à mea hac sententia abhorret quod Bart.ait de.l.euictis.ff.de vsur.vbi conuenerat sub conditione si agri venditi euincerentur,vt venditor pretium restitueret:nihil de vsuris expressum, tamen hæ vnà cum pretio refunduntur emptori fructibus agrorum exuto per dominum veriorem.quamquam in d.l. euictis. non de contrahenda emptione sub conditione,sed de resoluēda quæritur:tamen eadem ęquabilitas locum habet etiam si culpa sua emptor pretium amiserit.l.si fundus.versic.sed quod.ff. de lege commiss.

7 Sed ego dum diuerti à cœpto tramite purgationis Moræ, tantam Moram fecisse mihi videor, quantam vix purgare valeam.Itaque non pœnitet dixisseMoram purgari post diei pręscriptę lapsum,si modico tempore debitor offerat rem ipsam, modò nondum creditoris intersit.l.etsi post.ff.si quis cauti. l. si ita quis.§.Seia.de verb.oblig. vbi addit tertium Accursius, ne lis sit contestata scilicet contra debitorem. l. si insulam.ff. eod.de qua paulò pòst dicemus,si priùs disquisierimus,quamobrem in pacto legis commissoriæ non liceat emptori purgare Moram post diem:quando conuenit, vt res foret inempta, nisi emptor intra primas Calendas pretium,aut residuam pretii partem inferret.nam venditor,si velit,illico post diem fundumvendicat,vt dominus,sine traditione ex vi pacti de re sua non de aliena facti à principio.adeò finitur repentè venditio. d.l.si fundus.l.post diem.ff.de lege commiss. Sed hoc admitti puto,quoniam totum pactum in venditoris fauorem aspicit, & emptorem arguit vt negligentem & callidum : vtpote qui moratus sit interim fructus fundi percipiens, cuius non persoluit pretium.l.2.l.lege.ff.eod. tamen ne quid taceam, in d. l.lege.liquet emptorem fructus cum fundo restituere propter Moram non soluti in totum pretij,aut quamuis retineat eos aliquando,hoc euenit,quia acerbè plectitur in eo quod partem pretij,si quam intulit,amittit.d.l.fundus.eod,Vnde veriùs est

ibi adeſſe Moram ex die confectam,& ſimul ex pœna duplici exaggeratam: vna eſt, vt res inempta ſit, ſi vẽditori placeat non aliter: altera vt emptor pretium quod dederit, amittat, vti perſpicuè demonſtratum eſt, inde ceſſat Moræ obſtinatæ purgatio. l. traiectitiæ. ff. de actionib. §. fi.

8 Redeamus nunc hilares velut re benè geſta, ad Moram quam fabricat dies legalis in iis quæ facere quis promittit, vt extruere inſulam, librum ſcribere: nec diem adiecit, vnde lex diem præſtituit intra quam veriſimiliter opus extare queat, & quidem mediocrem ne curſim promiſſor feſtinare teneatur, nec audiatur greſſu teſtudineo. l. continuus. §. item qui. ff. de verbor. oblig. nam locus inſulæ ædificandæ, in quo interſit ſtipulatoris eam poni, exprimi debet. l. qui inſulam. ff. eod. tempus verò à lege vtiliter deffinitur. ita tamen vt purgari Mora poſſit, ſi mox ædificet. ſicuti, inquit, Venuleius in d. §. item qui. ille liberatur, qui ſe daturum ſpopondit, ſi quandoque tradiderit, id eſt, vt ego alibi explicui, opportunè priuſquam interſit actoris. §. 1. quibus mod. re contrah. oblig. l. rogo. ff. quando dies legat. ced. & de huiuſmodi purgatione Moræ quæritur in l. ſi inſulam. ff. de verbor. obligat. vbi ſi inſulam facere mihi ſpopondiſti, & tranſierit tempus quo potuiſti facere modò non ſim litem conteſtatus, te facientem liberari placet, poſtea non prodeſſe ſi ædifices.

9 Inde Paulus & quidam alij interpretes colligunt, ad purgandam Moram ſat eſſe ſi ante litem conteſtatam promiſſor facere incipiat: quia Iuriſconſultus ait facientem liberari, & adhuc ſubiungit non prodeſſe ſi pòſt ædifices, ergo antè profuerit ędificare incepiſſe. Sed hoc à ſenſu intimo legis alienum eſt. nam ſi non prodeſt tibi ſi lite conteſtata ædifices, igitur antè inchoaſſe non iuuat: quia qui antè incepit, poſtea pergit, & etiamnum ædificat, vt conſummet. Præterea tantùm abeſt, vt incœpiſſe ſufficiat ante litem iudiciariam, vt qui tardiùs incipit ædificare, adeò vt ſuſpicatu facilè ſit ſerò inſulam perfectum iri, iam in ius conueniatur Moræ ratione ante acceptum iudicium. l. ſtipulationes non. §. fi. de verb. oblig. & d. l. continuus. §. item qui. Adde, quod debitori præbita eſſet occaſio e-

ludendi creditorem ante litem contestatam, qui in ius vocatus illico inciperet molimentum insulæ, idque areæ solius purgatione, vel paucis lateribus saltem compositis. l. 1. §. cœpisse. de pollicit. vnde eueniret, vt necesse foret sæpius agi cum impostore, qui opus cœptum identidem sisteret quod perquam durum est. l. semper. §. hoc interdictum. ff. quod vi, aut clàm. Ergo exponamus facientem opus, pro eo qui fecit, liberari. eo magis quòd si transeat tempus intra quod expediuit perfectam esse insulam Mora subsit, nec fundamenta iecisse liberat. sic exponitur faciens pro eo qui perfecit. l. si ita fuerit. ff. de manumiss. testam. ita remeantem, & redeuntem, pro reuerso legimus in l. fi. in princ. & §. 1. C. de sentent. pass. morientem pro mortuo. §. 1. quib. mod. ius patr. potest. Quocirca faciens insulam promissam ante litem institutam purgat Moram, nisi creditoris intersit, inquit Accursius. l. si cùm dies. §. fi. de recep. arbit. & iam pupugi latus huius exceptionis superiùs per. §. Seia. l. si ita quis de verbor. oblig. vbi de actore tractatur qui hortos se mandante emptos recepturus erat, si præscripta die pretium refudisset. quiquidem demùm Moram purgat priusquam aduersarij intersit, multomagis reo id licebit: præsertim vbi non dare, vt illic, sed facere tenetur: nam in factis non ita strictè cogitur, cùm in his succedat obligatio, ad id quod interest. d. l. stipulationes. ff. eod.

10 Vnde Bartolus refellit hanc Accursij sententiam in purganda Mora: ait enim faciendi obligationibus succedere æstimationem eius quod interest: quare cùm promissor ante litem contestatam cessasset in fabrica insulæ, iam interesse successit & nihilosecius Mora purgatur. nec quia actoris interfuit, Moram purgari vetat. Verùm iam veteres animaduertunt interesse dupliciter capi: altero modo propriè pro damno illato ex Mora vel lucro sublato vltra rem principalẽ. l. 1. de acti. empt. l. si commissa. ff. rem rat. haberi & tale interesse emergens non patitur Moram purgari. quia Moræ genitura & partus est: nisi præstetur commodè cùm re promissa principaliter. secundò interesse comprehendit rem principalem vel æstimationem eius, vt in faciendi promissione, & in dandi circa contractus innomi-

innominatos.l.naturalis.§.1.ff.de præscript.verb.& generaliter alibi in quouis contractu.§.alteri de inutilib. stipul. & huiusmodi interesse creditoris insulam expectantis non impedit Moram promissoris tempestiuè purgari, dum omnia adhuc integra esse dicuntur.l.si in lege.§.pe.ff locat.l.illud. ff.de pericul.& commod.rei vendit. nondum enim actoris ius factum est deterius vt in d.l.& si post.ff. si quis caution. nempè post dies perpaucos & tempus modicum,quæ modicitas variè passim accipitur. l. si debitori. ff. de iudic. vbi Accurs.præterquam quod sæpenumerò retuli poni iudicis arbitrio tempus definiendum.l.1.ff.de iure delib. Ex quo insurgit acer Bartolus, cum videat ad litem vsque contestatam Moram purgare licere,& litem longè post Moram sæpissimè institui, nec sine Mora multorum dierum à vocatione in ius, & reo lentissimè accedente ac tergiuersante, vt assolet nisi existimemus litem citò contestari oportuisse, vt ad eam vsque,purgationi locus fuerit,sicut vetus opinio habet.

11 Ego arbitror in obligationibus faciendi,in quibus laxiùs cum debitore agitur,permitti purgationem Moræ vsque ad litem licet diu post contestatam:cùm plerunque creditoris non intersit opus celeriter perfici,vt satis ostendit differens rapere in ius promissorem,quem stimulare potuerat,vel vt opus citò inciperet.d.l.stipulationes non §. fi. de verb. oblig. sic accipitur.d.l.si insulam.nec obest. l. etsi post tres. si quis cautionib. vbi modicum tempus duntaxat expectatur, quia ibi dies & pœna interfuerant & quidem ob sistendum in iudicio hominem,qua de re lis non assueuit cōtestari: nam id genus faciendi aliam litem præparat.Idem dicam de eo qui non serò facit, sed,quod deteriùs est,rectè factum infringit paucis diebus re integra l si in lege.§.pe.ff.locat.hic enim nō ita purgabit Moram vsque ad iudicium acceptum,sed intra pauculos dies. Puto insuper non purgari Moram post diē solam ab eo, qui præmium est accepturus, si aliquid fecerit quamuis in libertatis fauore præmium versetur.l Thais.§.si intra de fideicommiss. liber. aliud enim est lucrum quærere, aliud longè purgando Moram,euadere iacturam.

12 Vbi autem de danda numerandáque pecunia quæritur, vel alia re verisimiliter commoda omni tempore, tunc non licet Moram purgare ante litem contestatam nisi modico tempore postquam dari oportuit & cùm nondum interfuit creditoris.d l.si ita quis.§.Seia.l.si cum dies.§.fi.cùm l.seq.ff de recep.arbitr. non ergo si diu protelata fuerit litis contestatio antè ipsa Mora purgabitur.

13 Ergo lis contestata non sinit Moram purgari & ita intelligenda sunt quæcunque iura purgationi indulgent. l. si seruum.§.sequitur.de verb. oblig. l. interdum.§. fi. eod. si quid Accursio ibidem creditur cùm enim reus negèt tunc id, quod ab actore petitur.l.1.C.de litis contestat. nam lis cùm cõfitente non est, omninò pertinacis Moræ & ineluibilis culpã profitetur, triplici ratione: temporis lapsu scilicet, mox vocatione in ius, & tandem iudicio accepto, præterquàm quod vix præsumitur aliquis vocatus in ius, quin prius interpellatus amicè extiterit vt satisfaceret.l.in fideicommissi. ff. de vsur. tandem verò litem contestans & inficians dici non potest, quantùm Moram roboret, & aliquid plus ignauia moliatur.l.fi.ff.de rei vendic.vnde malè sensit Bartolus à lite contestata quandoque Moram fundari, imò semper incipit vocatio in iudicium.§.fi. de pœna temer. litigãt. Sed prisci autores dixêre etiã à lite cõtestata Moræ purgandæ locum esse, si offeratur id quod petitur fieri vel dari, secus si id quod interest petatur vel pœna, cùm offeratur, id quod principaliter promissum fuerit. sed, amabô, quid aliud sensit Accursius quàm purgationem Moræ delitescere, dum eminet litis contestatio? & sic vnum petitur, & aliud offertur: cùm in eo qui offert quod petitur, lis propriè non sit nec in cõfitentem vllæ sint partes iudicis.l. proinde.§.fi.ff. ad leg. aquil. quia tunc actore volente reus purgat Moram, si offert quod poscitur. nec obest. l. sed & si alia. de constit.pecun vbi offertur petitum, & tamen non purgatur Mora post contestationem. Verùm ibi hoc non dicitur, puta, litem cõntestatam fuisse contra reum qui obtulerit petitum: nec Moræ purgatio illi denegatur, sed actori qui oblatione rei fastidita litem institui passus fuerat, vnde re perempta tan-

quam ex posteriore Mora tenetur. l. illud. ff. de pericul. rei vendit.

14 Modo inuestigemus, cur fiat, ne post litem contestatam liceat medicari Moræ commisso, cùm Iustinianus in §. fi. de perpet. & tempor. action. admoneat, vt siquidem is cum quo actũ est, antè rem iudicatam satisfaciat actori officio iudicis conueniat eum absoluere licet, inquit, in ea causa fuerit iudicij accipiendi tempore, vt condemnari deberet. & hoc esse, quod vulgò diceretur, omnia iudicia absolutoria esse. sicut quoque omnia dici queunt condemnatoria, si fortè lite cœpta reus conuẽtus inceperit rem petitam tenere, l. 1. §. inde scribit. ff. deposit. planè illic Accursius subdit solutione principalem causam sublatam, & sic liberatum reum ab instantia, seu obseruatione iudicij: cùm, vt ait Bartolus, id offertur & obsignatur quod petitur, non aliâs. Sed nemo mihi persuaserit soluendo re ipsa, id quod petitur liberari reum, qui Moram fecit, ab eo quod actoris interest dilatam fuisse solutionem, vel ab vsuris pecuniæ petitæ, vel à fructibus fundi antè bona fide possessi. l. fi. ff. de condict. triticar. l. certum. C. de rei vẽdicat. quamuis non ignorem, si de accessionibus ciuilibus, vel sumptibus litis iudex, in sententia nihil expresserit, postea addi non posse alia sentẽtia. l. 4. C. deposit. l. terminato. de fructibus & liti. expens. C. Cæterùm in fructibus adhuc iudex redintegrat iudicium aduersus condemnatum ad restituendum. l. & ex diuerso. §. 1. ff. de rei vendicat. vnde in d. §. fi. de perpet. actionib. videas licet reum qui peruicaciter litem contestatus fuerat, mox antè sententiam obtulisse actori non modò rem petitam, sed etiam, id quod eius interfuit propter Moram, vel vsuras pecunię ac fundi fruct. Ita verbo satisfactionis vsus est Iustinianus non strictim pro satisdatione, vt l. 4. §. ait prætor. ff. de re iud. sed pro integra solutione rerum & accessionum: quia satisfactio latæ est significationis plerunque, nec vno modo vsurpatur. l. solutionis. ff. de verbor. signif. l. fideiussor. ff. de doli excepti. quod si quis dicat, hoc modo etiam post sententiam purgari dilationem. d. l. fideiussor, fateor vtique, sed iudex acerbiùs statuet in eum qui se condemnari passus fuerit, quam in eum qui præue-

nit sententiam oblatione: & ideò ibi dicitur iudicem æstimaturum de damnis actori illatis ex debitoris Mora. l. Papinianus. §. meminisse. ff. de inoffici. vbi non de Mora sed de audaci fraude quæritur negligentiam superante, ideò serum est re iudicata resipiscere, vel intelligi potest Iustinianus de reo condemnando quidem, sed qui litem instititui passus est tanquam iustus defensor non vana opinione, sic à Mora immunis. l. si quis solutioni. ff. de vsur. multomagis si creditori ita satisfactum fuerit, vt contentus videatur, vt in l. satisfactio. ff. de soluti. non si dissentiat. succurrit. l. si rem. §. omnis. ff. de pig. acti. tunc enim absoluet iudex moratorem consentiente actore, quia iudicis partes, sunt ratum habere quod litigantes faciunt ad dirimendam controuersiam pertinens, vbi delictum non versatur. l. 1. §. inde quæritur. ff. de oper. noui nunciat.

15 Adhuc apparet post litem motam in iudicio purgari Moram. l. 3. §. fi. cum l. seq. ff. iudicat. sol. quando stipulatori cautũ est de re defendenda dato fideiussore, & accidit non defendi, vnde contra fideiussorem acceptum est iudicium: post tamen reus iusta defensione vsurus auditur. sed hic nihil mirum, quia vnus Moram commisisse videbatur, hoc est fideiussor litem contestans & sic negans, & alius cuius propiùs intererat, nempè reus principalis, purgabat Moram re ipsa commissam lite contestata. l. cùm quærebatur. §. proinde. ff. eod. & sic habet fideiussor ex alterius persona, quod ex sua non haberet, vt in alia prætoria stipulatione. l. procurator. §. 1. ff. rem rat. haber.

16 Ad l. hoc edicto. ff. de publican. dilutio perfacilis est: ibi namque publicanus, qui plus iusto exegit, auditur à lite contestata restituens & facinus purgans, quoniam Iurisconsultus nõ dicit ipsum liberari ab interesse & damno illato, sed à pœna dupli de qua in §. sequenti statim disceptat. ergo pœnitentia delictum abolet ante sententiam. d. l. papinianus. §. meminisse de inoffic. testam. non in furto & aliis criminibus nomen celebre retinentibus. l. qui ea. ff. de furt. verùm publicanus fucum dat audaciæ prætextu muneris liciti: nec tam furtum facit quã perfidè versatur. l. tres. ff. de admi. tutor. l. si multi. ff. de publican. & iis quæ de euitanda pœna legis restitutione matura rei

petitæ diximus,probè congruit.l.si cum exceptione.§.1.ff. de eo quod met.

17 Relabi nos decet ad ea quæ libata nobis iam exciterunt de die & pœna adiecta promissionibus dandi vel faciendi Moræ purgationem impediente, vt placuit iustiniano magnam veterum obscuritatem & litium occasionem, vt ipse gloriatur,amputante.l.magnam.C.de contrah.stipul. quia memoria tenere debeat quisque quæ sub pœna spopondit, non expectare ab alio admonitionem.accedit quod qui non terretur damno impendente ex pœna adueniente die apposita,censetur cõtumax aduersus legis minas, vnde augetur vindictæ species. nec consistit, quod quidam aiunt, ibi non impediri Moram purgari,sed ostendi diei lapsu pœnæque appositione Moram generari,quod inane prorsus est,cùm constet sola die Moram gigni sed purgatu facilem.l.si fundum.ff.de verbor.oblig. l. si ita quis.§.seia eod.sed pœna inhibet purgationẽ: cùm memoria recolere debuerit debitor diem imminentem, & minacem pœnam qua adiecta non quæritur, an actoris intersit. l. fi. de prætor.stipul.§.alteri de inutil.stipulat.cùm verò sola dies apponitur,animaduertimus an intersit creditoris, vt Moræ purgatio admittatur.d.§.seia.

18 An non etiam idem Augustus in l.2. C.de iure emphyt. memorat seueram sanctionem suam contra securos debitores, quæ est in d.l.magnam & vt morantem emphyteutam vlciscatur, loco pœnæ pecuniariæ pacto adiiciendæ pœnam minatur amittendæ rei,si triennio cessauerit à solutione pensionis, si modo dominus expelli desidem voluerit.neque enim cogitur vti iure suo,vt in pacto legis commissoriæ rem inemptam facientis ipso iure,si modò venditor voluerit,non aliter. l.3. ff. de lege commiss.qua in conuentione iam ostendimus duplicẽ pœnam videri additam, si sua die pretium non persoluatur: hoc est resoluti contractus, & amissionis pretij.l. si fundus. ff. eod.sanè emphyteuta ecclesiæ celeri satisfactione,moræ excusationem consequetur iure pontificum:cap. potuit de locat. quia recisius tempus illi concessum est cessandi à solutione pensionis,puta bienniũ.§.scire.de ecclesiastic.titul.col.1.& in-

dulgentior est lex erga eum cui minus spacium temporis largitur, vt patet in patrono clerico, qui semel oblatum episcopo intra sex menses non potest reiicere, imò alius intra quatuor cap. 1. de iure patron. in 6. gloss. ibidem. cap. cùm autem eod. adhuc indulgenter agit lex cum emphyteuta ciuili, quem primo quoque anno non solutæ pensionis tota pœna non afficit, sed triplicem pensionem effluere permittit, antequam prædio ipsum expellat. secus in l. 1. §. fi. ff. de penu. legat. sed considerauit lex, durius esse propter modicas pensiones quas emphyteuta non tam in compensationem fructuum præstat, quã in superioris domini recognitionem, prædio toto priuare, anno vno, ideo præstituit triennium, & tunc vetuit Moram excusari iuxta d. l. magnam ad quam se retulit autor iustinianus, nõ modò quoad moræ constitutionem triennij spacio metiendã, vt quidam falsò autumant, sed etiam quoad vetitam Moræ excusationẽ quippè cum vti diximus, vt Mora deprehẽdatur non ambitiosè pœna adiicienda veniat, sola die ad id sufficiente.

19 Euidenter idem probatur in traiectitia pecunia data, vt ad diem certam soluatur sub pœna certæ pecunię apud durum Affricanum in l. traiectitiæ. ff. de actionib. diei enim ibi in principio expressa mentio est, & quidem certæ & præfixæ, vt in exemplis mox ibidem subiectis patet, arbitri videlicet certa die dari iubentis, & rursus fundi lege commissaria venditi & pacto inempti, si sua die pretium non in totum numeraretur, morante emptore. Addo ego Pauli responsum, qui in diuersam sententiam exorari nequit de pecunia trans mare vehenda, loquens cum die & pœna, vbi dies ad certam pertinet, nec Moram patitur purgari. l. fi. ff. de nautic. fœnor. non magis quàm in l. ad diem. ff. de verbor. oblig. eodem Iurisconsulto Paulo autore, sed hoc amplius grauabat Morã in d. l. traiectitiæ seruus creditoris iugiter comitãs debitorem, & præsentia sua vel voce compellans, non quòd pro huius operis maiores vsuras debitor penderet. l. 4. §. nec pignora. ff. de nautic. fœnor.

20 Ad eandem sententiam rectà contendit Moræ purgationem post diem cum pœna prohibens Vlpianus in l. Celsus. ff. de recept. arbitr. recoquens id quod habetur in d. l. traiectitiæ,

post diem ab arbitro ex compromisso designatum committi pœnam ab eo, qui dare iussus fuerit, si per eum steterit quominus intra diem daret: licet ibi pœna à contrahentibus seu compromittentibus adiiceretur, dies verò ab arbitro iurisdictionis experte. nec obest. l. si cum dies. §. fi. ff. eod. vbi ante litem contestatam, si actoris non intersit, Mora purgatur: quia ibi erat pœna per partes præscripta, sed non dies ab arbitro: vnde modicum quoddam tempus parendi sententiæ arbitri subintelligitur planè vagum incertumque, non à lege præstitutum: lex enim diem pœnamque præfigens inflexibilis est l. 2. C. de iure emphyt. vt patet in illo tempore modico, sic enim vocatur ibi quadrimestre, dato iudicatis l. si debitori. ff. de iudici. l. 2. C. de vsur. rei iudic. quamuis huic diei pœna non hæreat, sed vsura centesima: quod si lex nihil temporis præfixerit. vt in l. Romæ. §. Flauius de verb. oblig. l. 1. in princip. ff. de penu leg. & in d. §. fi. l. si cũ dies. iam in iudicis arbitrio illud reliquit pro libito laxantis aut minuentis ex varietate rerum & personarum vel ex quantitate debiti. l. 1. ff. de iure delib. l. 2. de re iudic. nisi lex expressè indulgentior permittat diem à se datum per iudicem ex causa temperari. l. nonnunquam. ff. de iudic. d. l. 2. de re. iudic.

21 Itaque non est hic opus longa disputatione, qua disquiritur, an in fraudem legis factum durius vindicetur retractetúrve quam in fraudem hominis. l. si libertus minor. ff. de iure patron. & an duriùs cum lege quam cum homine agatur: maximè cum in d. l. si libertus. vbicunque legi fraus fiat, illic quoque homo fraudetur, id est, patronus à liberto alienante, sed hoc est per auios saltus vagari non trito progredi itinere. vidẽdum namque est, quænam fuerit causa prohibendi legislatori, vt potè cùm etiam in tempore lex se contemni patiatur à iudice, & reprehendat, quod ægrè perpetitur fieri, non puniat. l. 1. §. biduum. ff. quando appell. sit. l. 7. §. ad tempus. ff. de interdict. & rel. & de hac re tempestiuè plura commemorabo. non eadem vbique legis est patientia, passim namque indignatur sibi intra tempus morem non geri. d. l. 2. de vsur. rei iudic. C. l. si quis in suo. C. de inoffic. test. & in die cumulata pœnæ appositione, quæ præuideri potuit, & debuit timeri, ne pœna incu-

teretur vt in d.l.2.de iure emphy.vbi tamen lex vltrò cedit pactioni in diuersum cōuētę super expellēdo moratore intra aliquā diē.lex ergo tanq̄ paterfamilias nó eadē seueritate coercet familiam,sed irascitur aliquādo,aut cùm expedit, mansuescit.

22 Vt videmus die pœnaque addita ei qui se sistere in iudiciú promisit, vel etiam alium multomagis fideiussorio nomine, purgare Moram licere. l. etsi post tres. ff. si quis cautionib.l. sancimus. C. de fideiussorib. quia non perinde acerba est lex circa præparamenta iudicij , ac in definitione eiusdem. nam nec sententia absolutoria litem præparans ita mutari se dedignatur vt diffinitiua.l.quod iussit.ff.de re iudicat. & maximè in diei præstitutione.l.dicere. §. fi. ff. de recept. arbit. Ferunt quoque diem cum pœna non impedire Moram excusari ante litem contestatam in testamentis,in quibus in annos singulos aliquid relinquitur sub certa pœna , nisi soluatur vnde plura relicta pro annorum numero existunt,licet aliter statuatur in conuentionibus.l.si stichum.§.fi.ff de verbor.oblig.eò spectat l.1.ff.de penu leg.in vers. ꝙ si in annos:attamen cōtra hæredē moratorē aliud durissimum ibi respondetur, quia si in annos singulos penú dare iussus sit,& nisi dederit, pœnā sūmæ pecuniariæ:si in primo anno defecerit,integram pœnam luet , nec pro portione multiplicium annorú,quos legatarius viuere potuerit,summa distribuetur , sed stoica seueritate qui in primo parendi tēpore non obediuit,omnimodo pœnā dare adigitur.

23 Vnum non obliuiscor,quod multos angit & Iustinianum redarguit in d.l.magnam.C de contrah.stipulat.vbi sese mirificè iactat resecantē obscuritatem veterú,super non purgabili Mora post diem adiecta pœna transmissam:cùm tamen veteres omnes vno ore fassi sint idem in d.l.Celsus de recept.arbitr.l. traiectitiæ.de acti etiam si promissor ante diem obiisset,hæredi eius minimè pepercère.l.ad diem.de verb.oblig. Cæterùm suspicor Iustinianú gloriantē se aliquid statuisse præter antiquos,non studuisse Moræ propter diem cum pœna acuendæ, sed leniendæ potiùs addit enim in fi.d. l. magnam. rationem cohibentē præcedētia,vt semper solet l.cú pater.§.dulcissimis. ff.de leg.2.id est,quoniā promissor,inquit,memoria tenere,id

quod

quod promisit, debuit: non expectare à creditore admoneri.
24 Ergo si pateat promissorem vel eius hæredem memorem esse nequire diei & pœnæ aduẽtantis, excusari non iniquè poterit à pœna, quod iure prisco vix reciperetur. d. l. ad diem. & l. fi. ff. de nautic. fœnor. vbi pœna committitur aduersus hæredẽ promissoris diem morte præuertentis. neutrobi tamen negant Iuriscõsulti ipsam purgari ex æquo & bono posse, vt obliuioni vitio saneq̃ humano ignoscatur. l. aristo. ff. quæ res pign. oblig. sicut in l cum stipul. de verb. oblig. si ad diem opus facere promiseris, aut pœnam dari, quamuis post diem laxius tẽpus tibi concesserim, pœnã cõmissam quidem fuisse constat, non continuò tamen æquitatis plena exceptio denegatur promissori. l. 2. ff. si quis caution. iuuat verò hæredes pœnam à se amoliẽtes & Iustiniani explanationem nubes omnes discutiẽtem iuncta. l. oratione, in fi. ff. de feriis, quòd ij qui in alteri⁹ locũ succedũt iustam causam habeant ignorantiæ eorũ, quæ testator fecit. Et non modò quãdo aliquid promissum ab eo alij debeatur, sed an debeatur. l. qui in alterius. ff. de regul. iur. vnde si hæres à creditore non fiat certior ante diẽ pecuniæ sub pœna promissæ per defunctũ, causari poterit ignorationem. Idem si promisero quicquam intra annos quinquaginta daturum me sub pœna, egomet excidisse promissionem memoria non ineptè allegabo. l. 50. de probat. iuxta. l. peregrè. ff. de acq. possess. §. l. hac cõsultiss. C. qui testã. facer. causabórq; morbũ luémq; diuturnã memoriæ sine dubio insidiantem. quid enim memoria fragilius maximè in senecta, qua in ætate Orbiliũ grammaticum Horatij præceptorem circa annum centesimũ literarũ obliuio obrepsit, vt Bibaculus poëta tradidit: vnde in lõga nauigatione dabatur seruus comes interpellans debitorem ex abundãti, tametsi pœna cũ die intercessisset. d. l. traiectitiæ. ff. de acti. sed nos vento solicitante longiùs multo nauigauimus in hoc placido Moræ tractu q̃ constitueramus, vela itaque cõtrahimus, & summo malo coronas læti imponimus, nihil minùs iam metuentes q̃ scopulos inuidiæ: & nihil magis quàm piratarũ crebras incursiones, qui emissos inuentione vigiliáq; aliena commẽtarios studiosissimè dep̃dantur, quoad ego vnũ cõminuero.

INDEX LEGVM QVÆ IN TRIpertito Moræ commentario nouè explicantur: prior numerus tractatum indicat, prima parte, vel ſecunda, vel tertia.

Ex Digeſto veteri.

Ex Infortiato.

Ex Digesto nouo.

Ex Codice Iustiniani.

Ex volumine Iustiniani.

Ex Institutionib.

FINIS.